DE LOLIO TRACTATVS A NVLLO ANTEA EDITVS

Paulo Crasso Corrigiensi,

IN SVMMA ANNONAE CARITATE M. D X C I.

AVTHORE

In XIII. Capita redactus, cui etiam in fine Epistolam responsoriam ab Excellentissimo Vlysse Aldrouando Bonon. conscriptam affigi mandauit.

Ad Illustriss. & Reuer. F. Hieronymum Bernerium Corrig. Ex Ordin. Prædic. Tit. S. Mariæ supra Mineruam S. R. E. Presb. Card. Asculanum &c.





BONONIAE;

Apud Ioannem Baptistam Bellagambam. M. D C.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. FRATRI HIERONYMO BERNERIO CORRIG.

S. R. E. PRESB. CARD. AMPLISS. AC PATRONO SVO COLENDISS.

PAVLVS CRASSVS CORRIG. S.P.D.

QVOD de Lolio opusculum (Cardinalis Amplissime) præteritis annis composueram illorum temporum calamitate ductus, vtq; meorum studiorum ratio postulabat, hoc est, quod iam diu animo dicatum, nunc deniq; tibi legendum præbeo, tuo iussu opportunis auxilijs remedijsq; adauctum. Nec alterius quidem nisi tuo præclaro nomine ornatum illud in publicum prodire decebat, cum ipse aliquandiù tua in familia fuerim aggregatus, & licet nũc tua humanitate ita permittente, publica mercede vocatus in Arte Medica nostris Ciuibus inseruiam, ex eadem tamen tui munificentia exemptus non sum. Nulla profectò inanis gloriæ cupiditate, sed

† publicè

publicè vtilitatis amore ductus illud typis dare consilium capi. Nam cum ipse multis de re literaria benemeritis Viris opusculum hoc perpendendum tradiderim, quibus quicquid scio tanquam Præceptoribus acceptum refero, me vno ore omnes hortati sunt, vtq; illud ederem penè coëgerunt, quorum ipse iudicium pluris faciens, quàm eorum, qui temerè omnia damnant, quicquid mihi muneris D.O M. sua benignitate largitus est, eo non abuti statui, & meorum laborum, quos florens tulit ætas fructum, quamuis minimum, colligere decreui. Reliquum est, vt te Card. Amplis. maximis, quibus possum precibus obsecrem, vt libenti animo munusculum hoc meum suscipias. Ipse enim interim ad maiora conuertens animum, ne me tuo fauore, tuaq; gratia indignum ducas studiosè efficere contendam. Vale Purpuratorum decus, cuius ego Amplitudini me humillimè trado, atque dedo. Corrigij. VI. Non. Octob.

NOBILI,

NOBILI, CLARISSIMO, ET EXCELLENTISS. VIRO,

DOMINO PAULO CRASSO,

Philosophiæ ac Medicinæ Doctori, operis huius Authori Doctissimo gratulatur.

GVILHELMVS RECHPERGER AVSTRIAC.
In Archigymnasio Viennensi Mathematum
Professor Ordinarius.

FRugiferas inter segetes, Cererisq; maniplos
Hactenus infesto Lolium se fundere cultu
Cœperat, & tetras humano in corpore vires
Exercere suas, tacito serpente veneno:
Sensit id Alma Ceres, frontem turbata serenam
Heu mihi noster honos, inquit, rurisq; decorum
Vsq; adeo penitus, nullo prohibente peribit?
Siccine lætiferis mea semina peruia plantis
Suspectos reddent, nostrûmq; Deûmq; labores?
Altitonans iustas Diuæ exaudire querelas
Vt potuit, tali solatur voce gementem;
Sit permixta tuis quamuis Zizania aristis,
Non geme: naturam sed rerum agnosce parentem,
Quæ mala mixta bonis semper vult: nosse malorum
Fraudes, esto satis. Facilis cautela deinde est,
Deteget has magnus rerum scrutator, & author
CRASSVS, Apollineæ quo vix solertior vllus

Au

Aut longo rerum datur experientior vsu.
Tu modo pro merito da præmia digna labore,
Finijt: Alma Ceres pulso stat læta timore:
Accedunt Dryades, teneræq; per arua Napeæ
Gestantes flauam de spicis forte coronam
Quæ caput exornent Paulo, isthæc vota canentes:
Serta quot hæc culmis, quot abundat culmus aristis,
Quot spica granis, tot viuat lustra superstes
Noster amor PAVLVS, nostro de munere fælix.

Ad Paulum Crassum Medicum præstantissimum.

NAE, Paule insigni doctrina Crasse refulgens,
Mortales debent tempus in omne tibi.
Cautius en Lolium, duce te, vitabimus, atram
Corporis vt pestem, tabificamq; luem.

IVLII SIGNII.

Corpora, quæ Lolium vitiabat, triste, malignum,
Infelix, per te roborat, auget, alit.

Illustri

Illustri, & Excellentissimo Art. & Medicinæ Doctori

PAVLO CRASSO.

POMPEVS CLAVDINVS SAL.

DVM non dicta prius, vel tristi mersa sopore,
CRASSE refers, magnũ surgere cernis opus.
Quale pater Phœbus numquam potioribus herbis
Miscuit, aut medica tam puer arte valens.
Materia magnum, scriptoris maius honore,
Magnum etiam eloquij cultibus, atq; sale.
Hinc Lolij vires oculos vitiare proterui
Cessabunt, primo te referente modos.
Cuiq; prius cura haud fuerat potis vlla mederi,
Morbus, erit cura leuior ille tua.
Gaude moram tantam medicorum docta cohors, nam
Fit seges vberior, cum magè tarda venit.
Tu verò mihi nunc Censor, placidissimè PAVLE,
Esse neges, de te ni tacuisse libet.
Si puer inualidus, si vires præter egentis
Ingenij, rudibus te celebrabo sonis.
Cari facta patris nam mente imitatus, & ore,
Præcipua semper te pietate colam.

Capita, quæ in hoc Opere continentur.

Scribendi occaſio. Cap. I.

TANTA his temporibus mortales omnes vbiq; terrarum rerum omnium anguſtia præmit, eaq; temporum miſerrima conditio eſt, vt nemo illa ſibi ſpectanda proponat, qui de omnium vita vehementer vereri non cogatur, vel eundem ſaltem ſumma tot malorum admiratio capiat terrorq; inuadat. Hoc verò potiſſimum vel fortiſſimos Viros terret, hoc inquam ſe ſe maximè admirandum offert, nempe cibaria quæque, quibus nutriuntur homines frumenti præſertim genera omnia adeo nunc caro vendi, vt eodem, vel maiori numquam pretio, vt ne ſub Chriſtianæ Religionis imperio ſolo triente typhacei panis, vel lomenti extinctis carbonibus non abſimilis, miſerè homines (modo per legem liceat) permutentur verendum ſit. Miſerrima quidem res, cuius me ſola recordatio terret, & ab eiuſdem tractatione abhorrentem efficit animum. Quis enim adeo inhumanus eſt, adeo durus quem miſericordia non commoueat, cum iacere paſſim proſtratos miſeros mortales cernas cadaueribus nõ diſſimiles, quoſdam graui ſomno correptos, vt lethargici videantur, quoſdam capitis vehementi dolore cruciari, alios in girum conuerti, alios nauſeantes, ſed non vomentes videas, quidam verò ſunt cum frigore trementes, vt eos paraliticos cũ vulgo ducas, quidam progredientes cum ſtare loco nequeãt, hebrijs ſimillimi fiunt, quem obſecro illorum calamitas non tangat, & miſeratio non cõmoueat? cum omnes varijs ſymptomatum generibus, & ijſdem grauibus torqueri videas, vt de imminenti illorũ morte meritò ſit timẽdũ? & quod grauius eſt, vt Medicus ad eos accerſitus, quibus rationibus eis ſubuenias &

consulas, quæuè remedia miseris afferas, ignores pœnitus: tot enim mala, nisi in Lolium, vnde proficiscuntur omnia, accepta sunt referenda. Quare ipse tot excitus malis, vt sit, rei causam studiosè pro virili exquirere decreui, quædam notare, & studiosis Viris proponere, vt aliquãdo hoc meo labore, quod mihi propositum naturale semper extitit, alijs prodesse possim. Philosophorum igitur, atq; Medicorum vestigijs inhęrens, lolij naturam, effectus, causas, symptomata, & præseruandi, nec non curandi deniq; rationẽ perscrutari sum aggressus, vt tot imminentibus malis, quę debentur remedia afferre non sit difficile, quod adhuc non licuisse latet neminem, lolij natura pœnitus ignorata. Quantum vtilitatis meus hic labor sit artem medicam profitentibus allaturus, neminem non videre reor, pręsertim cum Antiquorum, vel Recentiorum neminem me legisse meminerim, qui de lolio exactam hactenus tractationem ediderit. Accedent præterea problemata, quę vt delectationis non minimum sunt allatura, ita & studiosi lectoris non segnes ingenium fortasse excitabunt. Cæterùm quantum ipsius lolij natura sit humano generi aduersa, vt homines necet, breuibus fiet perspicuum, vt meritò sanè quidam sacras litteras profitẽtes execrationem omnem septem principibus sceleribus debitam lolio figuratè adscripserint, & in illud reiecerint. Quid Virgilius & alij plurimi de eo sentiant, prudens prætereo tacitus, & si non adeo noxium esse constabit, quin aliquid, vt videre licebit, prodesse possit. Reliquum est igitur, vt hanc animi mei propensionem, & in omnes litterarum, & artis medicæ studiosos studium, ijdem æqui boniq; faciant, Heracleti summi olim Philosophi, grauissimi dicti haud immemores, eum lacescentibus, quod locum vilissimum, furnariam nempe casam sit ingressus, subridentis, & introite respondentis, nam & Dij hic etiam sunt præsentes. Non adeo enim contemnendum circa humilem materiam videtur

detur ſtudium, quin, cum rerum cauſas cognoſcere pulcherrimum ſit, natura eadem, quæ in nobilioribus cernitur tota etiam multo magis in exilibus eluceſcat.

Quid ſit lolium, à quibus cauſis fiat, & quomodo generetur. Cap. II.

LOLIVM, quod vt plurimum inter ſegetes naſcitur, ſpicam pullulans à latere planam,& ab alio dentatam, non abſimilem ab herba phenice, alienigenumq; ſemen producens, facultate calidum & ſiccum, virtute ſtupefaciendi præditum, atque veneni qualitate non penitus expoliatum, à Græcis *αἶζα ζιζάνιον* dicitur. Circa cuius deſcriptionem,non eſt, vt pluribus immorer, cum apud nos adeo familiare ſit, & ſingulis notiſſimũ,vt diligentiori indagatione non egeat. Hoc vnum præmittam illud naſci ex frumenti corruptione, ob anni prauam conſtitutionem, pluuiorum ſcilicet ſubſequentem, ex qua terra præter modum humectata, caliditate ſuperueniente putredinis gradum acquirere eſt aſſerendam, indeq; vnius corruptionem, alterius generationem fieri,terra enim de facili per Ariſtot. ex putredine *Sec. 25* inquinari poteſt, cum ſit elementum materiale aptum per *pbl. 20* admixtionem alterius, vt facilè corrumpatur, ob id alibi terreni vaporis putredinẽ nouiſſe teſtatur, quem fortaſſe *5. de ge* apud nos, vulgo diunt mellumo, ſeu malhumo, hoc eſt *ne. ani-* malum humidum, ſed vt aliquem in tractatione ordinem *mal. c. 5* me prænouiſſe, vnuſquiſque comprehendat, ab hiſce ſumendum exordium eſſe cenſeo, nimirum indagare prius modum, quo illud generari contingit, vt inde ad quod genus ſtirpium reducatur poſtmodum appareat, & cum à natura haud fruſtra productum ſit, an ad vſum humanum accedat, cumq; inter ſemina alienigena reponatur,

qua ratione id præſtet, inueſtigandum, poſtea circa eiuſdem facultates, & attributa longiori oratione calamum dirigens, & ad nonnullorum problematum exactam diſputationem, tractatum proculdubio eouſque completum omnibus haberi perſuaſum volo, cui methodum prę ſeruandi, & curandi à lolij nocumentis in calceaddam, vt nihil lectori deſit, aut ſubtrahatur ab opere, quod theoricæ partis, & practicæ negotium faceſcere videatur. A priori itaque exorſus ſummum Philoſophum Ariſt. mihi ducem propono, eo præcipue in libro, quem de generat. plant. inſcribit, ibi namque docet nos plantas qualeſcumque ſuper terra, & in terra naſcentes, duobus potiſſimum indigere, materia nimirum, & loco naturæ ſuę idoneo vtriſque in mediocritate, ſcilicet exiſtentibus, per materiam autem intellexiſſe humorē, ſicuti pro loco terram, nemini dubium, ex quo factum eſt, ſi alterum à temperamento remotiſſimum extiterit, omnis plantarum generatio inanis euadat, propterea nec ex niue, aut ſimilibus, nec in loco operto, aut multum ſicco, & alijs modis intemperato plantas generari cernimus. Et ſi quis dixerit in vtriſq; plantam nonnunquam viſam fuiſſe, tam ex niue, quàm in loco non proportionato, munus hoc imperfectum & valde mancum exequi demonſtrat, ſiquidem non id ex niue, ſed ex alia potius valentiori cauſa præſtitum fuit. Potentiorē autem hanc cauſam aperiens Philoſophus aeris meminit à ſolis caliditate erumpentis, vt inde humidiſſimas putrida à ſole coagulata in niue quaſdam herbas gigni occaſionem præſtet. Ex quibus paullo pòſt tertium adiungit pro generatione plantarum videlicet ambientis calorem. Idem quoque euenit de nimia aquea materia in qua halituoſus vapor non permittitur eleuari, vnde fit, vt planta non nutriatur, quemadmodum in locis adeo ſiccis, plantæ ferè non apparēt propter humoroſæ materiæ abſentiam. Quare concludendum eſt ex terminationę humidi cum

ficco,ita quod alterum alteri,vt gluten euadat,non folum plantarum,fed & rerum omnium, quæ ortui, & interitui obnoxiæ funt, fieri materiam generationi aptiorem calore vnà cooperante,& ita ex luto natiuo,& fole prope exiftente, plantam in lucem celerrimè emitti, ficq; plantas, quæ e terra concrefcunt, ex putrefactione in humido loco,& halituofo facta,nafci,& in locis proportione calidis. Hic ergo eft modus generationis plantarum communiter acceptus. Sed quoniam nonnullę ex fe nafcuntur,hoc eft fpontè, & nulla præexiftente actuali materia, fed vt mox dicebamus ex alimenti profluuio, dum calore, putredines ortæ,vaporem occupant, folifq; coagulationem cogentis, feu aquam in interioribus terræ concoquentis finditur locus,& ex eo prodit planta,aliæ verò ex alio,id eft ex femine, propterea adhuc res intimius perfcrutanda eft. Nam plantæ, quæ ex alio fiunt, vel ex femine fibi fimili, faltem in potentia fui ortus initium ducunt, vel ex alia planta tanquam ex vna in alteram degenerante fiunt, vel faltem fuper aliam alia virefcit. Primæ educuntur de potentia ad actum,quando virtus feminalis in calore natiuo refidens, ab ambiente excitata, humidum contractum concoquit, & alimentali terreno mediante terminationem corporis diffoluit ex primarum qualitatum mixtionem confequutam,& ita cōpedibus difruptis egreditur, & in lucem prodit. Alteram verò in alteram degenerans, fi in meliorem terminet, principijs in fumma mediocritate confiftētibus eft adfcribendum,prout fi in peiorem,aliquem ex mediocritate receffum euidentem in illis ftatuere fas eft. Poftremæ fiunt dum in plantis planta nafcitur diuerfæ fpeciei,& fimilitudinis, vt herbæ illæ pufillæ fuper arborum corticē pilorum inftar confpicuæ: aperiuntur enim partes eius, hauritq; fol ipfius putredines ex humiditate contractas, & concoctionem præftat ei,& natura fua in locum putridum fupeditat cum calore temperato,& inde crefcit planta, vt

ta, vt fila ſuper totam extendi videatur. Ex his poſtmodū concludit Ariſtot. quinque eſſe veluti radices plantarum, ſemen, aquæ humor, locus idoneus, aer, ſeu calor ambiens, & plātatio, quod & ſi ſemen generationis plantarum omnium principium eſſe ſcriptum reliquerit Theophraſtus, quod etiam alibi expreſſit Ariſtot. & Marcus Varro, nihilominus nonnullæ, etiam ſponte naſci, quatenus ex ſemine actuali non fiunt, & ſi ex ſemine ſaltem potentiali omnes produci, dicuntur. Complura enim e terra naſcuntur vim ſeminum in ipſa propagine, & radicibus obtinentia, & ita ſingulis ſtirpibus veriſſimum eſt ſemē ineſſe, aut vim quandam propagandi perinde ac ſemen. Modo lolium cum ex ſupradictis non ex ſe fieri contingat, ſed ex alio, hoc eſt ex frumenti corruptione, illud e numero eorum eſſe, quæ ex plantę in plantam tranſmutatione fiunt, conſequens eſt dicere, & cum id ex omnium conſenſu granū extet perniciofiſſimum, frumentum in deteriorem plantam degeneraſſe eſt affirmandum, idq; præcipue propter euidentem, aut loci, aut materiæ à proprio & decenti temperamento receſſum. Receſſus autem hic ad nimiam humiditatem proculdubio factus eſt, tum ex placitis Doctorum omnium, tum experientia ipſa, Gal. namque inter cæteros de ſeminibus alienigenis verba faciens, quæ in quoque genere permixta reperiuntur, poſt longam in Patrem pro diligentia comēdationem certò cognoſcere cupientem, an ex ſeminum mutatione lolium, & ægilops naſcerentur, an propriam quoque hæc ſemina naturam haberent, narrat quod cum anni conſtitutio praua aliquando fuiſſet lolium affatim tritico innaſci contigit, quibus Galen. verbis motus in Dioſcor. Amatus luſitanus, & eadem quaſi interpretans, inquit multum lolij innaſci praua anni cōſtitutione pluuioſaq; & plus iuſto humida exiſtente, quinimò tunc temporis triticum quoq; in lolium verti expreſsè affirmat, & in hoc vnum conueniunt, quicunque

Primo de cau. plant. c. 1°. ſect. 20. pbl. 11. 1° de re ru ſti. c. 40

1° de alimen. fac. capit. vlt.

Enar. 94.

aliqua de lolio scripserunt, nec ab re hoc statuēdum, cum putredinis mater sit ipsa humiditas Gal. authore. Multa enim humidissime terra imbibita, & calore ambientis superagente putredinem facile contrahit, ex qua calor alienus in elementarem grani agens, & per consequens in humidum radicale eum diminuit, vnde fit, vt quod terminabatur, dominetur terminans, indeq; copulari non possit propter continens, idest calor ambiens naturalem grani calorem trahit exindeq; dissoluitur, & ita humidum & siccum, quæ terminabantur calore naturali, & ipsa dissolutionem patiuntur ea non amplius terminante, subindeq; redditur ineptum ad frumenti generationem, sed ex eo postea tanquam ex putri materia lolium ortum suscipit, & vt mixtum vegetabile in lucem pullulat, nam ex illa corruptione non ita calor elementaris dissoluitur, vt deducatur ad non esse, quoniam calor ambiens non potest corrumpere calorem naturalem tali corruptione, cū hæc fiat à contrario, & dicitur corruptio ad non esse simpliciter, sed regulatur, & fit aptus ad alterius generationē, vt exemplificat Arist. de animalibus, quæ ex putri materia ortum ducunt. Inest enim caliditas, quæ corrumpit propriam, idest corrumpit propriam mixti putrescentis, & illam corrumpendo generat propriam pro generatione eorum, hoc autem potest ambientis calor, naturalem scilicet calorem ab esse naturali, ad esse non naturale transmutare per corruptionem, quæ est ad non esse tale, & ita fit, vt quæ terminari non poterant à naturali colore, terminentur ab alia caliditate inducta secundum aliud, atque aliud dominium pro exigentia cuiuslibet mixti. Calidum autem, & siccum temperamentum contrahit lolium, quia cum calore naturali exeunte, humiditas euaporat, indeq; caliditate putrescentis vigorata ab ambiente, & introducta siccitas, quæ lima caloris existit, ob consumptionem & dessicationem totius humoris superflui resultat in genito tem-

P° de temp. c. 4.

4. meteo. c. penult.

to temperamentum adeo calidum & ſiccum, vt propinquum ſit acribus magis quàm iris, nã in generatione complexio ſemper prædominantem ſequitur facultatem, & ſi inferatur ergo quodlibet mixtum à prædominio erit calidum, cum in quauis generatione actiuarum dominium, ſuper paſſiuas requiratur qualitates, reſpondendum eſt, non vt Gentilis, qui hac ratione motus concludebat omne mixtum eſſe à prædominio calidum quod etiam viſus eſt voluiſſe Auer. dicens quod vnaquęq; pars animalis eſt temperamenti calidi, & licet ſubiungit Gentilis, aliquę dicantur frigidæ, dicuntur frigidę .i. minus calidæ, præterea ſuam adhuc ſententiã corroborans, inquit, ſi daretur mixtum, quod non eſset temperamenti calidi, non poſset putrefieri, quod eſt falſum. amplius dicitur ab Ariſt. quod vita eſt participatio animæ à calido, ergò &c. Sed hæc opinio parum arridet veritati, quoniam multa ſunt per Philoſophum mixta aquea & terrea, ergo & à prædominio frigida, vel humida, vel ſicca, & licet hoc poſſit verificari de omnibus animatis, id tamen de omnibus mixtis proferendum non eſt. Dicendum igitur quod in generatione mixti & mixto genito, quæuis qualitas poteſt prędominari & ſecundum gradum, & ſecundum virtutem, nam humiditas vel ſiccitas, poſsunt prædominari calido ſecundum gradum, & etiam fieri poteſt quod virtus actiua, qua humidum agit in ſiccum, vel e contra ſit maior illa, qua calidum agit in frigidum, fieri etiam poteſt quod frigiditas ſecundum gradum, & virtutem vincat calorem, vt patet in mixtis, quæ à prædominio frigida ſunt, cum quo tamen ſtat quod calidum ſufficiēter vincat frigidum pro mixti generatione. Victoria enim quam requirit calidum ſuper frigidum in mixti generatione ea eſt, vt ipſum ſic ſubtiliet, & attenuet, quo poſſit humidum, & ſiccum, quæ ſunt iuncta frigido in aqua, & terra diuidere in partes minutiſſimas, & iuxta ponere, ad quod opus exequendum

[margin: 1° primi. 2° et 5. coll. Lib. de long. et breu. vitæ. 4. mete.]

quendum haud necesse est quod calor vincat frigus in gradu, nec pariter in virtute, adeo quod maior sit virtus caloris in calefaciendo, quam frigiditatis in frigefaciendo, sed solum requiritur quod calor ita dominetur vt alteret frigidum, quod crassitiei causa est, vt ipsum dissoluat, & inde humidum & siccum commisceat, sic itaq; videmus manum, & si sit temperatè calida, dissoluere glaciem, à qua vincitur, & in gradu qualitatis, & in actiuitate, vnde si tantum esset frigidum, quod à calore nequiret dissolui & attenuari, tunc calidum à frigido victum generare non posset. His igitur iuxta positis, humida agunt in sicca, & sicca in humida, ex qua mutua actione, sicut & ex actione calidi in frigidum, & e contra resultat temperies seu mixtio, & eisdem iuxta positis, fit in humido & sicco constantia quædam partium, vt vnum alteri euadat tanquam gluten. Hoc stante quoniam mixtum non est vniforme, sed aliquæ particulæ humidæ sunt, aliquæ siccæ, statim vbi siccum agit in humidum indurat, & humidum in siccum mollificat, indeque resultat vniformis constantia partium & terminatio, & simul, absoluitur mixtio, & ita ratione prædominãtis qualitatis educitur mixti complexio. His possumus addere quod calidum igneum, quando generat, iuuatur ab ambiente, vnde Platonici calorem cælestem magnum omni seminarium dicebant, & Arist. sole accedente fieri generationes animaduertebat, & alibi à sole & homine generari hominem, nec non etiam calorem solis & qui in semine producere animal, quo stante dici potest, quod calor ambiens, & calor elementaris simul iuncti, vincunt frigiditatem in mixtione concurrentem, verum cum calor ambiens nõ remaneat in ipso mixto, se habet enim solum vt efficiens, non vt materia hinc caliditas elementaris sola derelicta à calido ambientis, poterit superari à frigiditate, & sic patet quo modo in quauis generatione calidum prædominari dicatur, cum tamen

2. de generat.
2. Phy.
2. de generat. animal. c. 3.

men quædam ſint mixta à prædominio frigida, humida, ſicca. Hactenus autem orationem protrahere opus fuit, ut vnicuique innoteſceret qua ratione vnumquodque mixtum proprium contrahat temperamentum. Lolium itaq; calidum & ſiccum non ratione tantum, ſed ex omnium
6. de Doctorum monumētis colligi poteſt, & à Gal. precipue,
ſimp. qui de lolio loquens illud deſſiccare & calefacere effica-
med. citer affirmat adeo vt propinquum ſit acribus magis quàm
fac. c. x iris, licet ſicut illa non exiſtat ſubtilis eſſentiæ, ſed multum in hoc deficiens, & ſecūdum hoc ponit illud in principio tertij ordinis excalfacientium, ſecundi verò extremo ſiccantium. Cuius quidem Gal. ſententiam omnes, qui de lo-
Lib. 7. lio ſermonem habuerunt, ſequuti ſunt. Paulus namque & ipſe lolium calidum & ſiccum eſſe determinat, & iridi æquales atq; eaſdem omnino in medendo vires obtinere.
Ser. pr. Aetius ſimiliter eadēmet Gal. verba de lolio recenſet, prout quamplurimi alij, quos breuitatis gratia, omnes ſilentio prætermitto. Nec vertendum eſt in dubium, an lolium calidum & ſiccum conſtituendum ſit, cum ex pluuioſa anni conſtitutione ortum ducat, ex qua potius frigidum & humidum conſequi temperamentū eſſet affirmandum omnibus ſcilicet ortis naturæ principiorum ſuorum atteſtantibus, quandoquidem non ex humiditate ſola, & immediate oritur, ſed ex putredine potius propter humiditatem inducta, hacque ratione à ſuo ſimili nutriri, fuliginoſo inquam tetro atque corrupto nutrimento, conſentaneum eſt dicere, putrida autem tantum abeſt vt frigida humidaq; ſint dicenda, ut potius calida, & omni humore expertia nuncupari mæreantur, humida enim primum,
4. met. deinde ſicca fieri putreſcentia dicebat Ariſt. lolium itaque
cap. 2. ex frumenti corruptione gigni, ob anni prauam conſtitu-
in Dio- tionem, pluuioſam ſcilicet & illud calidum & ſiccum exi-
ſcor. c. ſtere neceſſario concludendum eſt. Ex quibus malè non-
proprio nullos à P. Andrea Matteolo redargui, alioquin in arte

medica

medica benemerito, est credēdū, eo quia dixerint lolium in principio Veris nasci, cum (eo asserente) in initio hyemis iuxta Theoph. doctrinam generari certissimum sit, quandoquidem, & in principio Hyemis, & in initio Veris illud gigni consentaneum est, in vtroq; enim anni statu humida & pluuiosa constitutio subsequi potest, quod & Gal. visus est voluisse inquiens, in tritico quidem frequens lolium sæpè inuenitur, in hordeis etiam, sed paucū, quam autem ægillopem appellant ea in hordeis frequens inuenitur, cum prima generatio, vel incrementum ipsis nō rectè successerit &c. Præterea si (vt dictum est) ex frumenti corruptione lolium gignitur, quando terra supra modum humectata, ob pluuiosam anni constitutionem, caliditateq; superueniente nullo negotio putredinis gradum contrahit, indeq; tritici corrupti causa euadit, nulli dubium, hoc in vere probabilius fieri, Sole tunc temporis ad nos accedente, cuius gratia calor fit aptior humiditati iunctus ad putrescendum, quàm hyeme propter sui recessum imbecilliori existente, quod & si tunc temporis granum putridum reddi minimè possit, cum iam stipitem veri frumenti ediderit, potest nihilominus eidem nutrimentum subministrari fuliginosum, tetrum, & adeo corruptū ex putredine terræ contracta, vt plantam inquinare eandemq; in aliam permutare valeat, vel saltem illius semen nondum productum, aut integrè terminatum sub forma lolij producere, quare non tantum in primo eorum ortu, sed & in incremento lolium generari affirmandum erit, quod etiam luce meridiana clarius innotuit, dum propter anni præterriti Ver mibriferum lolij prouētus extitit: probè enim memoria teneo puluerulentum iter quod Bononiam Kalendis Maij habui dum Illustrissimi Co: Camilli Domini mei indispositionibus, vt consulerent præstantissimos Viros conuocari, & postridie pluuia incipiēte, ac diù persistente, vt vix tempore messis Agricolæ prænimia

p° de alimen. fac. in calc.

Aquarũ multitudine frumentationem colligere possent, triticum in proprijs glumis illicò in lolium conuersum inspicientes, nõ parum mirati sumus, immò prout obseruarunt qui agricultura delectantur, sæpe Vere existente pluuioso ægillopis atque lolij copiam cernimus, quod etiam si hyemis principium pluuium fiat, dũmodo Ver nouum aridum appareat nequaquam spectamus. Ex his igitur satis superque cõstare existimo quo modo & à quibus caussis lolium generari contingat, diuersimodè autem hoc intellectũ fuisse testis est admirabilis ipsemet P. And. Matt. Leonarthum fuchsium iure merito arguens, vtpote qui pseudomelanthium, quod vulgo giottone appellant, lolium dixerit, cum id caput numquam gignere pseudomelanthio simile spectetur, sed spicam ab hærba phenice nõ absimilem, vt locis citatis apud Matteolum Lusitanumq; videri potest, qui quidem Matteolus statim hæc subnectens ait Nos. Hetrusci instanti sedulitate ex segetibus lolium eximere consueuimus, ne in capitis nocumenta, quæ inebriando producit, incurramus, & hisce verba Gal. addens circa lolij qualitates sermonem complet. Amatus lus. similiter postquam lolium ingratissimum, perniocissimumque hominibus capitis grauedines, dolores & vertigines faciens, immo homines ipsos furiosos & cæcutientes reddens dixerit, vnde merito ab Arist. inter ea, quæ caput grauant lolium adnumeratum iudicat enarrationem suam more Matteoli perficit. Et hæc sunt quæcumque de lolio à priscis Doctoribus elici potuerunt. Equidem non mirari admodum non possum dum lolij naturam à tot Viris illustribus descriptam video atque eiusdem mille prauos effectus recitatos, & à nemine eorũdem qua ratione id præstet, vlla ex parte descriptũ, sicuti quoq; haud ridere non desino quosdam, qui post lolij explicita mala, summa diligentia colligi, & ad nutriẽdos pullos gallinasque longa oratione custodiri docent, sed de his hactenus.

Loco citato.

Lib. de som. & vigil.

De

De Cibo, medicamento, atque veneno, vt in quo genere lolium sit reponendum manifestum fiat.
Cap. III.

NON solum ex his, quæ superiori capite dicta sunt colligi potest lolium de genere stirpium esse, que ex alterius plantæ corruptione initium sumunt, frumenti nimirum, sed & hoc innuere visus est Arist. per illa verba, triticum quoque & linum transmutari in aliam spetiem dicunt &c. At quoniam dictum est illud ortum suscipere propter frumenti corruptionem ex pluuiosa præter modum anni constitutione, meritò quis querere posset, an lolium à Natura frustra sit productum, cum ab eadem non intendatur, sed semper id quod melius est desideret, & ex tritico triticum producere vbique intenta sit, adeo quod cum inter semina alienigena à Gal. reponatur, non videtur rationi consonum, ut illud aliqua ex parte ad humanum cōmodum transire queat. Sed ex mox dicendis clarè apparebit lolium nec frustra, nec vt quid otiosum à natura præstitũ esse, & licet alieni genũ semen dicatur, pluribus tamen modis ad vsum nostrum accedere demonstrabitur, & si quid pernitiosi possidet, non ad hoc operata est natura, vtpotè quæ nihil vnquam, aut frustra, aut temere, aut incōmodè ex se operetur, sed potius à quadam præter naturam causa irritata, & propterea non ratione sui, sed potius materiæ subiectæ non proportionatæ errorem contingere est asserendum, omne enim agens in passum dispositum agere comunis est sententia, vnde fit, vt ad aliam atq; aliam suscipiendam formam dirigatur, prout ex sui dispositione introducitur ab agente, modo licet natura granum optimum in lucem

P° de plant. c. 2.

intendat

intendat emittere quoniam tamen materia ad eius generationem inepta redditur propter humoris aquei exuperantiam, hinc eſt vt aptior euadat ad loliũ producendum, tantoque artificio & ope vtitur in hoc gignendo, quantum eſſe ſuum requirit & locus expoſcit, ſed de his ſatis, quandoquidem ſi qua ratione humano generi munus aliquod præſtare cognouerimus, non vt quid otioſum productum fuiſſe clarius apparebit, quod vt facilius nobis innoteſcat, hac methodo procedendum operepretium eſſe duximus. Sciendum itaque elementata omnia vniuerſaliori quadam conſideratione, aut Cibi, aut medicamenti, venenicũ rationem obtinere, idq; mediatè, vel immediatè, cibo nimirum accepto in genere, quod non tantum ea, que ad alendum ſunt idonea comprehendat, ſed & cætera omnia, quę ad prædicta reduci queunt, ſimiliter per medicamentum intelligentes quodcumq; ex parte commodum noſtrum reſpicit, non tantum ad recuperandã amiſſam quàm ad qualemcumq; exiſtentem conſeruandam ſanitatem, ſicuti per venenum, omne quod naturam noſtram corrumpere, aut eidem veneficè, ſeu quouis modo obeſſe poteſt. Amplius ſciendum horum quod libet, ſeu cibus, ſeu medicamentum, aut venenum exiſtat, ſuas in nos exercere operationes vel per virtutem manifeſtam, aut ſecundum primas qualitates, putà caliditatem humiditatem, frigiditatem, & ſiccitatẽ, aut per ſecundas facultates emolliendi, indurandi, tendendi, laxandi, rarefaciendi, denſandi, aperiendi, attenuandi, attrahendi, diſcutiendi, & repellendi, vel per virtutem ocultam, vt quando præter rationem, & per modum penitus nobis ignotum hæc ſuas edunt operationes, ſi enim prægnans cyclamini radicem tranſilierit, & fiat abortus, non eſt vt ſuper hoc humana ratio glorietur. Et quemadmodum in vnoquoq; horum genere aliqua reperiũtur in vna quappiam facultate adeo prę excellere, vt ſolummodo medicamenta & alia tantum

venena,

venena, ſicuti alia ſolùm cibaria dici mæreantur ita quoq; nonnulla reperiri haud inconuenit, quę ſub diuerſis reſpectibus, modo cibi, modo venena, & interdum medicamēta nuncupari valeant, ſed diligentius rem inquiramus, vt ad quod genus lolium reducendum ſit, manifeſtum fiat, à cibo videlicet ſumpto initio. Cibus itaque iuxta Galen. doctrinam, eſt illud alimentum, cuius ſubſtantia tota alteratur, & vincitur à calore noſtro, eandem in familiarem animantis ſubſtātiam commutante, ideoq; corpus nutrit, & auget, quod ſi tantum alendi corporis, non etiam alterandi poteſtatem habuerit, nulla ſilicet vincenti qualitate præditum, qua alterare poſſit, ſed ſolum nutriendi, & augendi facultate donatum, cibus propriè nuncupabitur, quod ſi non ſolum corpus alere, ſed & alendo alterare ad vnam quampiam qualitatem poterit vt puta calefaciendo, humectando, frigefaciendo, ſiccandoq; medicamentoſum alimentum iurè dicatur, alimentum quidem quatenus familiaritate ſua corporis noſtri ſubſtantiam augere, medicamentoſum quatenus medicamentorum inſtar alterare poterit, obid Auic. ſententia eſt, quod vincit & ſuperat corpus eſt medicina, quod verò nutrit & auget eſt cibus. Amplius notandum quæcumq; alimoniam corpori præſtant, & tranſumi in corporis ſubſtantiam queunt, eadem ex altero dicendorum quatuor generum ortum habere, prout Franciſcus Valeriola ex Galeni mente, & aliorum Doctorum monumentis nos docet, nēpe vel ex terræ naſcentibus, ad quæ omnia à terra gremio ſuo fota, contenta, alita, concoctaq; & tandem ad hominum ſalutem prolata, ſunt referenda, vti radices ſurculi, fructus, folia, ſemina, & huiuſmodi, & etiam quæcunque terra ipſa ſponte, vt ſuperuacua proijcit, tubera ſilicet ac fungos, vel ex animantibus ipſis, que in tria deducuntur genera, prout etiam animantium triplex eſt genus quadrupedum, volatilium, aquatilium, vel ex eorundem animalium partibus,

3. de temp. c. 2. & 4.

1° cāt. 26.

2. loc. com. c. 6.

non

non solum enim animalibus alimur, sed & eorum partibus tam externis, quàm internis, vel tandem desumuntur, ab his que partes cum animantium non sint, ab animantibus tamen deriuantur, & prodeunt, cuiusmodi sunt oua, lac sanguis, serum & quæ ex lacte caseorum genera fiunt, de quibus omnibus hactenùs satis. Præterea sicuti quæcunque ita alterantur, & ita a calore nostro immutantur, vt omnino corporis substantiæ similia euadunt, absque quod vlla ex parte eandem alterent, dicuntur à Gal. nutrimenta, reliqua verò præter hæc omnia medicamenta quæcunque silicet addas tu, non idonea vt ita alterentur & in substantiam nostram conuertantur, sed que corpus immutandi vim obtinēt, medicamentum iure merito describi poterit illud esse, quod mediante aliqua ex eius qualitatibus corpus alterare atque immutare valet, vt etiam innuit Gal. alibi, sub qua quidem communi descriptione prædicta alimenta medicamentosa non tantum, sed & omnia venenorum genera, de quibus paulò infrà, comprehenduntur. Et quamuis magnus Auerr. qui Galenum semper odio habuit, insufficientem, mutilum, & refugam circa hæc ipsum animaduertere contendat, eundemque carpere audeat Conciliator ipse, nihilominus decipiuntur Viri isti maleuoli, ut doctissimè demonstrāt Io: Baptista Montanus, & Ant. Maria Bettus in suis super Auic. com. præter quod sibi paruū cōstans indicatur Auerr. qui aliàs medicamentorum maximum & fidum exploratorē prędicat Gal. & cui alterum comparari nequit, nisi is, qui clamans non intelligit quid clamet, quòd longè aptius de se ipso proferendum est, sed ad rem. Gal. igitur de medicamentis verba faciens, quatuor eorundem differentias, cōstituit, quarum primam eorum esse ait, que adsumpta, & etiam permanentia vincunt, corpusq; mutant ad modum, quo id cibos, atque hæc ipsa prorsus tum venenosa, tum naturæ animalis corruptricia pharmaca sunt, altera verò

[Margin notes: *3. de temp. c. 2.* — *p° de simp. med. fa. cap. pr. 5. coll. ca. 2. 3. & 9. Dif. 140 prima primi doc. 3. c. primo. 4. primi can. ca. 5. loco cit. c. 31. 3. de temp. c. 2.*]

eorum eſt, quæ mutationis initium ab animalis corpore conſequuta deinceps iam putreſcunt, ac corrumpuntur, & corpus quoque deinde corrumpunt & putrefaciunt,& hæc quoque noxia venena exiſtunt, tertia eorum eſt, quę corpus recalfaciunt quidem,ſed tamen nihil mali adferũt, & hæc ſunt,quę propriè medicamenta dicuntur,quę à calore noſtro actuata corpus alterare queunt,quod & ſi minimè nutriant,non tamen illi nocẽt,vltima eorum eſt,quę & agunt & patiuntur aliquid ſed tandem vincuntur planeq; adſimilantur, & hæc ſunt ſupradicta medicamentoſa alimenta,ex quibus medicamentum eſſe dicemus quod corpus alterare valet,& licet nutrire haud poſſit, cum à vi concoctrice vinci nequeat, nihil tamen mali eſt adferens, ſimilem habuit ſententiam Auic.quę ne prolixior fiam interim prætermittitur.ſunt poſtea duo principalia medicamẽtorum genera, ſimplex ſcilicet & compoſitum, verum cum in preſenti nobis hoc parum referat, hæc dimittentes ſicuti quamplura alia,quę pro medicamẽtis afferri poſſent, aliqua quoque de veneno dicamus. Ex ſupradictis quid & quotuplex ſit facile eſt cognoſcere, cum determinatum ſit nonnulla medicamentorum eſſe,quæ adſumpta & permanentia vincunt & corpus mutant, ad modum, quo corpus cibos mutare ſolet,& nonulla eſſe, quę mutationis initium ab animalis corpore conſequuta, putreſcũt deinde & corrumpuntur, corpus ipſum vna corrumpentes & putrefacientes,quę omnia tum venena, tum corruptricia pharmaca nũcupari ſupra ſancitum eſt,hoc vnum ſolum in præſenti aduertendum eſt, quod etiam animaduertit Santis Ardoynus, non paruam ſcilicet differentiam cadere inter venenum & medicinam venenoſam ſeu mortiferam,nam venenum dicitur,vel eo quia vt refert ille,per venas vadit cum cor ſeu quodlibet aliud principale membrum nequaquam offendere queat,niſi prius per venas & arterias ad ea pertingat, vel dicitur venenum quaſi venas

2.primi doc.2.c. 15.

1.de venenis c. pr.

nectens, cum mediante eius corruptiuo principio venas animalis mortificet atque arterias, ne sanguinem & spiritus vnicuiq; membro conuenientes deducant, vel secundum Gal. eoquia vocem inferat mortis, & ita venenũ dici poterit quod primo & per se in virtute suæ specificæ formæ, & non per qualitatem manifestam, aut eius complexionem elementarem, corporis nostri complexionem & substantiam corrumpit, & propterea Auic. dicebat medicina que proprie appellatur venenum est que corrumpit complexionem spiritus per contrarietatem substantiæ speciei suæ ad substantiam & spetiem spiritus &c. At medicina mortifera, quæ cum modo est mortem inferens, de terminato namque modo mortem inducit, erit quæ proprie & principaliter secũdum sui qualitatem manifestam aut elemẽtarem complexionem naturam nostram vitiat, sub genere tamen veneni vtraque collocatur, prout supra Gal. innuere visus est, quo modo autem uenena hæc medicamenta ab eodem nuncupentur in presenti meum nõ est dicere, cum de illis ex professo minimè verba fecerim, hoc unum referam expurgantia medicamẽta semper per se nocere ægrotantibus ex Gal. & eo tantum modo non dici uenena, quod temporibus quibusdam proficua fiant, unde ex Caio Iureconsulto. Qui uenenum dicit adijcere debet bonũ uel malum cũ & medicamẽta uenena sint, nã eo nomine utrumq; continetur, hęc ille. Cęterum ut hisce suppositionibus ultimam manum imponamus, scire licet omnia uenenorum genera prodire, aut ex uegetabilibus, ut ex herbis & plantis, unde aconitum & cicutam & alia uenenosa dicere consueuimus, aut ex animalibus, ut uipera, basiliscus, & huiusmodi, aut ex metallis, ut hydrargyrum, auripigmẽtum & similibus aut ex elementis ut propterea aerem, & aquam, ratione suæ malitiæ interdum pestiferam & uenenosam dicamus, & pro nunc sufficiant hæc.

Lib. de dinamidia.

Lib. de med. cord. tract. 2. c. p.

Li. quos & quã. purg. cõueniat. 6. epid. com. 5. l. qui venenum in pãd. tit. de verb. et ter. sig.

Lolium

Lolium ſub genere cibi, medicamenti veneniq; comprehendi. Cap. IV.

HIS ita conſtitutis dicerem modo lolium e numero eorum eſſe quæ ſecundum diuerſos reſpectus in genere cibi, medicamentiq; nec non in genere ueneni contineri poſſunt. Namque alicui quoties deeſt illud ſine quo ſecundum naturam munere ſuo fungi non poteſt, ipſum optimo iure affectum eſſe putandum eſt, (3. de loc. aff. cap.3.) & licet præſidijs alijs non omni tempore utamur, ſine alimento tamen, ne uiuere quidem, neque ſecūda, neque aduerſa ualetudine poſſumus: (P° de alim. fa. in initio) ob id lolium neceſſario in genere cibi collocandum eſſe reor, ex illiſq; exiſtere, quę ex terræ naſcentibus, prodeunt. Qua autem ratione lolium in genere cibi urgente neceſſitate ſaluari poſſit, ex Gal. animaduerti licet, dicente (P° de clemēt.) Quæcunq; corpora ortui, & interritui ſunt obnoxia duabus tranſmutationibus ſubijci, alterationi ſcilicet atque ipſorum ſubſtantiæ deperditioni, alteratur refrigerata, calefacta, exiccata & humectata, fluit autem & ſecundum ſenſibiles excretiones, & ſecundum illam, quę occulta nominatur tranſpirationem, quare & iure merito, ut ſaluetur etiam duplici eget reſtauratione, altera quæ locum repleat exinanitum & altera, quę excedentes temperet qualitates, hæc ſecundum qualitatem contrariam, illa uerò ſecundum ſubſtantiam ſimillimam, cum oporteat toti nutrientis ſubſtantiæ cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudoq; ſit (3. de tēp. c.2.) & hoc eſt corporibus enutriri ex ſubſtantia aliqua ſimili, quę prius fuit euacuata, quam ſubſtantiam alimentum nominant, ſicut cum ſecundum ſolam qualitatem volumus alterare ſubſtantiam illa per quę hoc efficimus non alimenta, ſed medicinas appellamus, & ita Auic. dicebat ci-

bum & potum esse de numero eorum, quę nobis sunt necessaria, & quibus alterantur corpora, & alibi scito quod
1. cant. 22. vera cibi actio est augere augenda, & restaurare omne deperditum ex dissolutione corporis, & ad pristinum statum deducere. Non iniuria igitur nos ipsos in vita conseruare cupientes, & aliqua ex parte substantiæ deperditioni, cui subijcimur, reparare volentes, lolium sub genere cibi (vrgente scilicet fame) compræhendi affirmare poterimus, prout etiam experientia docti interim valde nimis istud pro certo scimus. Vtrum modo necessitate non urgente, lolium in hoc genere saluari possit, nondum apparet. Mea sententia lolium simpliciter loquendo in genere cibi nequaquam comprehendi existimo, primo quia ex illis hoc non video, quæ ita à calore nostro alterari & vinci queunt, vt prorsus absque quod corpus alterent atq; immutent substantiam nostram nutriant & augeant, tum quia ab illis quoq; multum differens est, quæ & agunt & patiuntur aliquid sed tandem vincuntur, planeq; adsimilantur, quare nec simpliciter cibus, nec medicamentosus dictus dici poterit quod & clarius adhuc probabitur,
P° nat. fac. ca. 11. Lib. de alimẽt. per ea que docemur à Gal. iuxta Hipp. sentẽtiam asserentis nutrimentum triplex esse, quod nutrit, quod veluti nutrimentum est, & quod futurum nutrimentum existit, ex quibus concludit ille ędulia quæcunq; nutrimenta appellari, non vtique quod iam animal nutriant, neque quod talia sint qualia quæ nutriunt, sed quod nutritura sint, ex qua quidem Gal. conclusione, ego quoque talem deduco, nempe lolium vllo modo cibũ seu alimentum dici haud posse, eo quia nullo modo nutrimentum vocari potest, & primo non esse quod nutriat, clarum est, cum cibus nondum tale sit nutrimentum, quin prius alteratus, digestus, appositus, atque substantiæ nutriti adsimilatus fuerit, non esse item quod veluti nutrimentum existit, manifestum redditur, cum tale licet nondum adsimilatum sit, est tamen

men alteratum,concoctum,atque agglutinatum, & quod vltimo non fit illud, quod futurum nutrimentum dicitur, & sub quo ædulia omnia Gal. reposuit inde manifestatur. Illud quod nutrimentum futurum vocatur non solum à calore nostro alterari debet, verum etiam post exactam concoctionem apponi atque adsimilari hinc Gal. vbi supra dicebat futurum nutrimentum vocandum siue id in venis contineatur,siue in ventre quod probè concoctum, tandem nutriturum est. At lolium licet alteretur nondum tamen ita digestioni subijcitur vt salubriter nutriat, quinimo in ipsamet concoctione nocere inchoat, & adhuc magis donec humores,atque corporis nostri substantiam putrefaciat. Quare concluditur lolium nequaquam inter cibos connumerari posse,obid fortassis de lolio Gal.loquẽs, vltimis verbis dicebat. Non igitur oportet nos in purgandis seminibus,quę ad esum comparantur esse negligentes, persuasos etiam si noxam,quę quotidiè fit ob exiguitatem sensu non percipimus,quod tamen longo tempore ex ipsa aceruatur tandem erupturum. Et si quis instaret,nos paradoxum construxisse, cum in summa caritate & vrgente fame loliũ nutrire dixerimus, sciat me de cibis loquutum, atque lolium de illis secernentem, solum cibos boni succi intellexisse, non eos qui licet nutrire videantur, prauam tamen atque admodum vitiosam nutritionem pariunt, succos tam in substantia quam in qualitate prauos loco boni sanguinis generantes, vt lolium gignere infrà videbimus.Quod si quis illud inter alimenta reponere cupiat,idẽ ad ea,de quibus Gal.redigat,quæ plures vrgente fame coacti comedere,nonnulli à putridis ac pestiferis febribus interierunt, nonnulli vero pustulas instar scabiei ac lepræ in corpore contraxerunt. Sed qua ratione lolium inter genera medicamẽtorum collocetur modo videamus, animaduerso prius medicamenti nomine bifariam sumpto prout ex supradictis quoque satis clarum innotuit; nam sumi-

P° de alim. fac.

P° de diff. feb. c. 3.

tur medicamentum in genere quatenus ſcilicet ſub ſe & cibos medicamentoſos, & omnes venenorum differẽtias, præterquæ propriè medicamenta nuncupantur, comprehendit, vel ſumitur in ſpetie, ſtrictioriq; modo, pro medicamento ſcilicet, quod etſi corpus noſtrum alterare valet, abſq; quod nutriat, illi tamen nihil mali eſt adferens, quo ſuppoſito dicendum lolium ſub genere medicamẽti comprehendi, ſumentes medicamentum in genere & largo modo, at ſi medicamentum propriè ſumamus, non ita planè hoc ipſum aſſerere poſſumus, quoniam lolium nõ ſolum corpus alterat verum etiam vehementer illi nocet, ſed clarioris doctrinæ gratia altera diſtinctio præmittatur, dicendo medicamenta quę propriè talia dicũtur, vel ſummi ad intra, vel apponi ad extra, inter prima lolium connumerari non debet quandoquidem valde nociuum habetur, ſed inter cætera quæ extrinſecus apponuntur, vt propterea Dioſcor. lolij farinam cum ſale, & raphanis emplaſtri modo impoſitam, quę paſcendo ſerpunt excedentia vlcera compeſcere & gangrenas dixerit, ſimiliter eandem cum viuo ſulphure & admixto aceto feras impetigines & lepras ſanare, adhęc cum columbino fimo, liniq; ſemine in vino decoctam, ſtrumas & quę egrè maturantur apoſtemata erumpere, emplaſtriq; modo coxendicis impoſitam cum aqua mulſa dolores leuare, prout cũ bitumine etiam, aut mirrha, aut croco, ſuffitu conceptus adiuuare, & Nic. Florentinus refert quod puluis lolij combuſti cum oleo violato mixtus inunctus ſuper frontem & temporibus, & ſuper pulſus bracchiorum dormire facit, quibus fortaſſe Plinij Commentator motus Steffanus Aqueus dicebat, de lolio verba faciens, quod licet infelix dici poſſit, fælicia quędam tamen mortalibus præſtat, ex quibus elicitur lolium penitus inutile, non eſſe dicendum. In genere veneni quoque collocandum eſſe difficile non eſt cognoſcere, ſi illa, quę nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte, ſed tota ſeruata integra,

lib. 2. c. 91

Ser. 2. ſum. 4. tract. 2. diſt. 7. cap. 32.

Lib. 22.

tegra, corpus ipſum vincunt & mutant admodum, quo id cibos etiam in parua quantitate aſſumpta dimittentes, dixerimus illud è numero eorum eſſe, quæ aut per qualitatem manifeſtam, elementaremuè complexionem initium mutationis in animalis corpore conſequuta, deinceps corporis naturam corrumpunt, quod vt facilius nobis innoteſcat hac methodo procedendum eſt. Quæcunque aut per contactum aut per putrefactionem, eroſionemq; lædunt, omnia naturæ noſtræ contraria, & in genere veneni æſtimanda cenſeo, per contactum autem ea dicuntur lædere quę etiam in parua quantitate deſumpta iuxta propriam formam & à tota ſubſtantia ſunt nobis prorſus inimica, hæcq; proprie exiſtunt, quę prima dimittenda ſuperius diximus, & de quibus lolium eſſe negamus, nonnulla vero etiam reperiuntur quę licet per contactum offendāt, non tamen id ex propria forma præſtant, ſed quia in multa quantitate ſumpta à calore noſtro vinci nequeunt, & ita per contactū lædere poſſunt tam per putrefactionem, quam per eroſionem, aliqua quoque extant, quę ex natura propria per ſolam putredinem, & alia per ſolam eroſionem nocendi facultatem obtinent. Ex quibus omnibus dicerem lolium venenoſum eſſe, & per contactum, & per putrefactionem, & per eroſionem, quia efficaciter calefacit & exiccat, virtuteq; valida ſtupefaciendi eſt præditum, vt infrà, ne eadem ſæpius repetantur, & quia, ſicut nos docuit Gal. inter acria medicamenta collocatur, que facultates omnes luce meridiana clarius lolium prauum venenoſumq; arguunt. Et ſi quis argutiori ratione hoc demōſtrari peteret, adderem, quod quemadmodum vna quæque res naturalis in ſuo genere præſtantior exiſtit, ſic vitiata peſtilentiſſima quoque efficitur, vnde iure merito Iſaac ſuper illud Haly ſperma retentum conuertitur in venenum, & ipſe quoque de ſanguineis febribus verba faciens ſanguinem naturæ fieri odioſiorem ſi à ſua ipſius degeneret natura,

Lib. de feb. 3. tecbni.

tura,

tura, quãto erat ille suam seruans naturam gratior & charior affirmauit. A pari ego lolium tanto venenosius atque odiosius nobis factum dicerem, quanto cum triticum esset naturæ nostræ familiarius iucundiusq; reperiebatur, & modo fortasse cõcludi posset lolium etiam per propriam formam aliquid veneni possidere, at quibus viribus operetur in sequentibus videamus.

Qua ratione lolium suas exerceat operationes & tot diuersa symptomata pariat. Cap. V.

CVM vna quæque res naturalis, atque elementata includat temperamentum, materiam, & formam, vt doctissimè nos admonet fernelius, quod prius ex mẽte Gal. docuerat Auic. inquiens, quod comeditur & bibitur in corpore humano, tribus operatur modis, aut enim in ipso sola sui qualitate operationem efficit, aut sui materia, aut operationem facit tota sui substantia; lolium quoque vt quid elementatum formam materiam, atque temperamentum possidere dicendum erit, & quoniam quodlibet temperamento operatur per primas qualitates, materia per secundas, quemadmodum, forma per facultates, quæ à tota dicuntur substantia, ob id operæpretium erit videre, an loliũ secundum quamlibet eius partem suas edat operationes, & quales, quotque sint cognoscere. Dicamus igitur breuiter lolij temperamẽto existente calido & sicco, primas operationes esse calefacere, & exsiccare efficaciter, & cum e numero acriũ simplicium existat, per secundas facultates attenuandi discutiendi, & abstergendi potestatem habebit, per formam postea (si licet) cõmodius stupefactiuam seu venenosam ei adscribam qualitatem, vnde & primis, & secundis facultatibus à totaq; substãtia occultis lolium operari affirmare

2. de abd. rer. cau. c. 1
2ª. pri. doc. 2. c. 15.

non

non dubito. Cæterum vt adhuc clarior quælibet eius actio indagetur, ſyptomata quæque ab eo manãtia aſſumere vtilius erit, & ſingulorum naturam perpendentes, qua vi lolium hæc omnia agat, eadem quamplurimis alijs ſimplicibus, etiam in eodem temperamento conſtitutis agere non valentibus, certiores fiemus, vnicuique animaduertens omnia, ſi fieri poterit, primis aut ſecundis facultatibus complecti, prout vbique Gal. viſus eſt voluiſſe licet & ipſe (aſſerente Io: Fernelio vbi ſuprà) ad occultas virtutes interdũ coactus confugerit. Inter cætera autem ſyptomata quæ patiuntur quicunque lolio veſcuntur, primum & precipuum eſt quidam capitis dolor grauis & veluti obtuſus, qui eoſdem ſtupidos & plerumq; cęcutientes reddit, cuius naturam indagaturus in primis dolorem in ſenſu tactus tanquam euidentiori præcipuam exiſtere paſſionem ſupponam, neque à ſola intemperie fieri, vt Auer. neq; à continui ſolutione tantum vt quidam Galeniſtæ videtur Gal. adſcribere, ſed potius ex vtriſque ſimul, nimirum ex altera tanquam immediata cauſa, & ex altera tanquam ex potiſſima & principali, cum ſimilium curioſitatum in præſenti non ſit locus, poſtea ad Gal. confugiam, qui ſymptoma hoc ſex modis gigni determinat, videlicet ex ſola ſimplici & immateriali qualitate, ex eadem cum humorum affluxu, ex ſuccorũ copia vitioſa, ex eorundem ſubſtantia tranſitum ſpirituum & liquorum intercipiente, ex flatuoſis ſpiritibus ob imbecillitatem aliquarum capitis partium productis, aut tandem ex aliqua cauſarum extrinſecarum, quas procatarcticas vocant, quibus non incongruè ſeptimum quoque addere lubet, quem ipſemet Gal. ibidem licet paullo infrà, nos docet, cum è numero earum cauſarum non ſit, quæ capitis dolorem per idyopathiam generent, ſed ſecundario & per ſympathiã vt quando per communicantiam ventriculi dolor capitis innaſcitur, capitis enim ſecũdum plurimũ ſuarum diſpoſitionum ſunt ęgritudines

Marginal notes: 3. coll. cap. 31. — 2. de comp. med. sec. loc. c. pr.

2.primi doc.3.c. 2. tudines per societatem stomachi, dicebat Auic. Quibus sic stantibus proculdubio sex primas causas à nobis in prę-senti dimittendas esse duco, dum de lolio dicitur concoctionis tempore dolorem capitis gigni, postremamq; assumendam, indeque videre, qua ratione sympathia hæc à ventriculo ad caput per lolium fiat, quod tamen nullo negotio determinatur, si Galeni verba recensentur dicentis cerebrum ventriculo & ventriculum cerebro suas affectiones transmittere propter neruorum à cerebro ad os ventriculi descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic particulæ acutior, quam vlli reliquarum corporis partium existit. Cæterum quia nocumenta alicuius partis, alteri communicari bifariá contingit priuatiue scilicet atque positiuè, hinc est, quod lolium à calore nostro actuatum, dum concoctio in ventriculo celebratur flatuosos vapores caliditate sua generet, qui ad caput ascendentes, ob loci naturam densantur, & prę nimia copia, eorumq; crassitie ibidem acquisita, meatus quoscumq; replent, & ita grauitatem earum partium distentionemq; gignunt, ac tristem quandam sensationem inducũt, sicq; vias occupant, vt priuatiuè quoque plurimum noceant spirituum scilicet animalium ad determinata corporis loca pro sensu & motu descensum impediẽtes, & quoniam ob vaporum in ascensu turbulentum atque inordinatum motum, animalis spiritus vnà mouetur, visionem quoque rectam minimè fieri permittunt, imò & caput circumire cogi videtur, sicq; reddũtur homines hebetes & stupidi, non eo quia haud sentiant, sed quia vitiosum admodum obtinent sensum, tanta enim est interdum earum fumositatum pernities, vt plerumq; phantasmata intellectui offerentur adeo inquinata vt ebriorum more & ipsa ratio deprauetur, & si quis tantæ capitis infirmitatis reperiatur, vt aliqua ex parte fumosis illis vaporibus resistere nequeat, ita sensus ei deprauatur, & motus impeditur, ut vel humi iaceat, vel tre-

3°.de loc. aff. cap.5.

mulorum

mulorum exemplo incedere cogatur, & alter in tantam somni profunditatem incurret, vt prorsus spectetur lethargicus nonnullos tamen adeo viuido, & robusto capite preditos, quoque inspeximus, qui nihil, vel parum ab hisce correpti sunt accidētibus, ob id vera scripsisse Auic. conijcio, dicentem inflatiua medicina valde nociua est tristibus & corde debilibus, quoniam replet substantiam spiritus vaporibus non proportionatis incongruis & intransmutabilibus ad ipsos, quorum proportio est sicut proportio superfluitatum ad membra, obtenebrant ergo spiritus atque grauitant, & ad suas operationes debiles eos reddunt propter quod debilitationem cordis atq; tristitiam simul producunt &c. Hactenus lolij vitia, & modum eorum generationis satis cōmodè cognoscere licuit, restant modò aliqua problemata discutienda, & nonnulla perspicaci ingenio pro consideratione digna, quæ iam examinanda sunt, vt clarior adhuc vnicuique innotescat rei veritas.

Lib. de med. cord. c. 2. tra. 2.

Lolium qua ratione dicatur flatuosum.
Cap. VI.

PRIMVM quod ex prædictis occurrit quærendum, est qua ratione lolium flatuosum dicatur, quoniam cum calidum & siccum sit, non adeo facilè apparet, id ipsum existere similis facultatis, nam prout Doctorum Illustrium schola nos docet, illa tantummodo flatuosa dici mærētur, quæ calorem debilem nacta sunt, cui nonnihil humiditatis & substantię lentoris est adiunctum, cuius naturę lolium esse haud scio, quinimo nullibi à Gal. hac proprietate fuisse donatum optimè noui solumque Recentiores asseruisse flatuosas euaporationes ita vt inebriet, gignere, propterea ad huius rei veritatem indagandam sumendum paulo altius est initium.

4°. meteo. c. 4. tium. Gal. ab Arist. doctus, qui ventos nec in feruenti æstate nec in summo hyemis algore gigni tradiderat, & ipse flatuositatum in corpore nostro generationem duabus potissimum de causis impediri dixit, nimio scilicet calore atque extremo frigore, eo nimirum dissoluente, atque illico resoluente, hoc verò neutrum præstare valente, & ita solam flatuosorum vaporum causam calorem medium determinauit, & propterea Auic. dicebat omne à quo nō accidit flatus, vel est quia absolutum seu expoliatum est ab illo, aut propter duas res alias, quarum vna est dominium caliditatis super ipsum, & altera frigus quod non mouet aliquid, hinc Serapio dixerat frigiditas pura non generat fumum, quia non subtiliat, & caliditas vehemens vincit cibum & superat omnem materiam flatuosam, quare sequitur dicendum flatuum causam efficientem nihil aliud esse quam calorem debilem, & respectu materię sibi proximę eandem alterantem & dissoluētem sed nequaquam resoluentem. Ex quibus duæ potissimum ipsorum flatuū causæ deducuntur, vnà nimirum materialis, & altera efficiens, hæc calor debilis, illa verò materia frigida, humida, & ex se flatuosa. Cæterum sciendum est quod quælibet istarum adhuc bipartita est, alia scilicet interna existens, & alia externa, efficiens intrinseca est veluti calor natiuus in cibum seu humorem operans, sed ob illius infirmitatem ipsum perfectè exacteq; concoquere minime potens, humidum eius dissoluit, atq; eundem in flatus conuertit, extrinsecus verò efficiens est quodlibet calidum corpori approximatum, & intus assumptum, quod humorem crudum, vel quid aliud flatuosum in ventriculo dissoluens at propter sui ipsius caloris imbecillitatem eūdem resoluere nō valens, flatuosos vapores excitare solet. Materialis verò causa interna est veluti humor crudus, frigidus, phlegmaticus, aut melancholicus, in corpore repertus, & externa cibus ille, aut potus qui ex se flatuosus extat, difficilis &

Marginal notes: 6. de morb. et symp. cap. 2. — 13. tertij trac. 5. c. primo — 3. su. breuiarij c. 8.

lis & tardæ concoctionis aut externa humiditate repletus. Dico igitur lolium flatuosum dici non quia materialis flatuum causa sit, sed bene eorundem efficiens, atque efficiēs externum, dum enim quid crudi seu pituitosi in ventriculo reperit, calore suo illud dissoluens, nec resoluere valens, ventositates, & flatuosas euaporationes gignit, sicut de allio etiam Hipp. asserit, vt inde merito Ant. Maria Venustus in suis consultationibus dubitandi occasionem sumpserit, an aliqua calida reperiantur, quæ actu flatuosa dici mæreantur, circa quod responsionem ad Gal. defert, qui de vrtica verba faciens dicebat eidem aliquid flatuosi inesse, non actu, sed facultate, dum in concoctione flatus acquirit. Sed hic oritur instantia non contemnēda, quo modo scilicet lolium & allium ventositates gignere ualeant, cum potius hæc discutientia dicantur, eo quia efficaciter calfaciāt, flatus enim discutiētia, si Gal. credimus in meth. sunt calida & tenuia, & precipuè cum sit lolium subtilis essentiæ, magis ad dissoluendos arcendosq; flatus, quam ad procreandos ambo idonea uidentur, ut propterea Gal. meminerit cuiusdam colico dolore laborantis à flatibus excitato, qui post allij comestionem liber euasit, quinimò ipsemet Hipp. allium ebrietatem tollere affirmat, res quidem non exiguæ admirationis, quandoquidem si flatus & proinde capitis grauedinem gignit, prout ibidem, qua ratione aduersus ebrietatem præstabit? imo qua eandem non augebit, cum & ipsa nihil aliud sit, quam capitis repletio atque grauedo ex uaporum uini ad caput ascensu? Huic instantiæ dicerem una cum Nicolo Florentino medicamenta discutientia ut lolium & allium, flatus & uentositates gignere posse, nec non & eosdem, licet in diuersis temporibus atque secundum diuersos respectus resoluere ac consumere, omnia enim calida, quando materiam reperiunt in uentriculo, & eandem in flatus resoluunt, iure flatus efficientia nuncupantur, præsertim (addas tu) si ulterius

4. regi. acut.

6. de simp. med. fa.

12. meth. c. 8.

Loco citato.

Ser. 5. tract. 4. cap. 16.

terius eorum actio non extendatur, sed quando minimè inueniunt circa quod operentur, sed solummodo genitos vapores & eosdem soluunt, tunc temporis discutientia medicamenta dicuntur sicque tollitur controuersia, quæ videtur inter Hipp.& Gal. cum hic allium maximum flatus discussorium appellet, ille verò allium flatus excitare dicat, cui assentire videtur quoque Arist. qui inter omnes causas propter quas vrina reddatur ab allio fætida, hanc vnam affert,quod flatus excitat, qui ad vrinam penetrantes eam fętidam reddũt quoniam id prouenit ratione materiæ,quæ interdum multa,crassa,& viscida extat,vnde fit, vt agens in huiusmodi materiam gignat flatus crassos, qui non ita facilè resolui queunt,sed diutius in corpore remaneant ,& ita dicuntur talia flatus excitantia quod si materia non sit viscida,non multa, neque crassa, sed solum flatulenta,tunc flatus dissoluunt & propriè discussoria nuncupãtur,hac ratione Doctissimus Mercurialis suo de cóp: med. lib. primo Gingiber à Gal. inter flatum excitantia repositum fuisse pulcherrimè animaduertit. Aliam respósionem adducit quoque supradictus Venustus,quam breuitatis gratia lectori dimitto,qui si locum desiderat, Consilium Laurentij Lorenzoni colico dolore affecti percurrat,vbi,pro alio hãc dubitationem videt. Sed dicet aliquis ergò lolio ad arcendos flatus perinde ac allio vti poterimus? cui responsum volo, quod si tantę caliditatis existeret lolium, vt allium, & sicut illud ad esum veniret, non ita fortasse eius prauos spectaremus effectus, sed quia debilioris caliditatis est, & subinde ad flatuũ generationem magis quam ad eorundem resolutionem promptius, & quia etiam in cibis nisi coctum,vel ex se,uel cum pane,aut simillibus modis,iuxta quos non pauca humiditate aduentitia repletur, comedere possumus, hinc est quod semper in nobis huiusmodi fumositatum copia procreetur,& hac de causa etiam pullos & gallinas (prætermissa tamen cõ-

In 4.acut. tex. 90. *In met. c. vlt.* *13. par. probl.6.* *De sip.*

uenientia

uenientia quadam quæ nutriti & nutrientis vt plurimũ posset adduci) eo nutriri sine noxa uidemus, quia illud crudum, uel solum, & in pura substãtia comedũt, adeo quod excrementosis cruditatibus ut nos, haudquaquam abundant, quibus etiam fauet experientia de suibus, quos inspicimus, si lolium crudum sit exhibitum, eisdem nocuum minime esse, at pro ipsis saginandis elixatum, aut in farina cum uino, uel iure mixtum, datumq; eos adeo longo ut plurimũ somno corripi, ac si mortui essent, nec si exciten tur, subleuari posse magna ex parte uisi sunt. Quo modo postea allium ebrietati conferat apud Nicolaum Rorariũ cõtrad.
in Hipp. contradictionibus uideri licet, quoniam in præ- 2.
senti obiter de illo sermo habitus est. Hactenus itaque qua ratione lolium à Neutericis flatuosum dicatur satis abundè declaratum est, quod etsi nullibi Gal. explicitè lolium tale dicat, implicitè tamen, dum (eo asserente) multis caput dolere cæpit, innuere uisus est.

Dolorem Capitis quem generet lolium & cur magis somnolentiam, quàm vigilias inducat. Cap. VII.

QVAERITVR secundo loco cur loliũ capitis dolorem grauem atque obtusum (ut ita dicam) potius inducat, quàm acutum aut pungentem, cum efficaciter calidum sit atq; acre si enim orta omnia principijs suis attestari consueuerunt, lolium potius à posteriori frigidum & stupefaciens quoddam arguendum esset, quàm calidum & acre, & si qualis est causa talis quoque sit effectus, qua ratione dolor acutus & uehemens non gignatur profectò diuinare non possum, ex caliditate namque uehementissimos dolores excitari scri-

ptum

2. de comp. med. sec. loc. ptum reliquit Gal. subnectens mordacem qualitatem dolores augere, & ulterius ab acrimonia erosionem punctionemq; fieri. Hac de causa tertio loco quęri potest cur magis somnolentiam quam uigilias pariat, adeo quod eas à siccitate & caliditate maximeq; acri ortum habere communis est sententia. Vt propositorum ueritatem sincerè enucleare possim, hoc unū prius supponere oportet, quo modo scilicet somnum fieri contingat, faciliori enim methodo ordine præpostero utens utrisque satisfacere haud difficile erit. Sciendum itaque somnum caloris quendam ad intima, ratione alimenti, conuentum esse prout Gal.

5. de cau. pul. c. 8 de sōn. & vig. cap. 4. doctissime asserit ab Arist. doctus, nam tunc temporis ex eodem repentè multa humiditas & corpulenta sursum fertur, quæ constans grauat, & dormitare facit, & licet cuiusque animalium calidum ad superiora natum sit ferri, cum tamen in superioribus locis fuerit, multum simul iterum reuertitur, & deorsum fertur, & reuertendo calorem repulit, & ita fit somnus & animal dormit &c. Ex quibus clarissimum est somnum fieri refrigerato repletoq; cerebro tam ex Gal. quam ex Arist. sententia, licet discordes fuerint circa somni principium, prout pulcherrimè examinat Fran. Valeriola. His ita præmissis, dicamus modo

In com. 4. de symp. cau. c. 8 loc. cit. cap. 5. cum Arist. dubitante quo pacto somnus refrigeratio sit, cum causæ multæ eum producētes sint calidæ, quod sicut humidum, quod euaporat à solis caliditate, cum uenerit ad supremum locum propter frigiditatem ipsius infrigidatur, & cum consisterit deorsum fertur factum rursus aqua, sic in euacuatione calidi ad cerebrum, quod omnium quæ in corpore nostro sunt, partium frigidissimum est, excrementitia quidem euaporatio in pituitam consistit, nutritiuaque, & non morbosa, deorsum fertur consistens, & refrigerat calidum, ad infrigidandum uerò, & non facilè suscipiendum euaporationem cōfert & tenuitas, & angustia uenarum, quæ circa cerebrum sitæ sunt, & hæc est

causa

causa infrigidationis, quamquam euaporatio caliditate exuperet, signum autem horum, somnifera esse, quæ grauedinem capitis faciunt, vt papauer mandragoras, vinum, lolium, dixerat superius. Hinc Nicolaus Rorarius super Pauli Aeginetæ contradictiones, qui ad somnum conciliandum papaueris nigri folijs vti suadebat quod calidum, & non frigidum existit, dicebat pro solutione papauer atrum non ratione qua calidum, sed propter plurimos ab eo eleuatos vapores caput oplentes somnum conciliare posse, sicuti quoque de coriandro asseruerat Hipp. Quare satis superque constat qua ratione lolium somnum magis quam vigilias inducat ex quibus etiam ad aliud quęsitum elicitur respõsio, cur scilicet dolorem acutum non pariat, quoniam ut dixi euaporationes illæ, licet nonnihil caliditatis acredinisq; nactæ sint, in ascensu tamen cum ad superiora peruenerint, ob frigiditatem & loci humiditatem, ita refrangi hebetariq; cẽsendum, vt illud omne vndequaque perdant, atque omnino eodem priuentur expolienturq; sit affirmandum. *Cap. 4. Cõtrad. vlt.* *Lib. de dieta.*

Stupefactiua virtus lolio assignatur, & qua ratione. Cap. VIII.

NON minus fructuosum erit quarto loco examinare, qua ratione vis stupefactiua lolio adscribatur, quandoquidem illud stupefaciẽtibus penitus aduersum perspicio, hisce efficaciter frigidis eo verò impẽsè calido, existẽtibus. Stupefacientia enim à Græcis, narcotica dicta, quasi soporem conciliantia, ita corpus refrigerant & sensum eousque obstupefaciunt, vt si paullò liberalius ebibantur mortem adferant, vt testatus est Gal. at lolium tantum abest, vt refrigeret, vt potius mul- *5. simp. med. fa. cap. 18.*

ta caliditate refertum inter acria meritò reponatur, quare circa hoc quam maximè veritas indaganda est. Cęterum an quia aliquod calidum stupefaciens reperiatur? an verò somnolentiam grauem inducens, quasi stupefactiuum sit habendum? Vt problema vtroque modo saluari liceat & responsionum appareat sensus lucidior, veritas adhuc intimius perscrutanda est. Posset quispiam Antonij mariæ Venusti authoritate inuixus primæ responsioni adhærere, qui quidem in corrolario addito ad calcē consilij Laurentij Lorenzoni supradicti, contrà Gal. eum carpere nō erubescēs, Philonium Romanum calidum statuit, & mouetur hic Vir, quia calida in ipsum intrantia multo maiori proportione quam quadrupla, frigida superant, vt inde falsum videatur quod ait Gal. frigida scilicet quæ in ipso philonio sunt, præualentes vires habere esse autem philonium narcoticum quoddam, communis est consensus, quare aliquod calidum stupefaciens reperiri certissimum erit, indeque lolium sub eadem ratione tale saluari poterit. Verum doctrina hæc mihi non satis arridet, quandoquidem melioris notæ Doctores Philonium Romanum frigidum tenent, vt mihi non parum erubescendum esset si hoc idem probare tentare, nedum demonstrare præsumerem, sed dato, nunquam tamen concesso philonium calidum esse, & proinde tutò ac sine vlla noxa exhiberi posse humore frigido & crasso existente, quod tuum erat ò Venuste principale consilium ex Mesue cap. proprio, vnde est, vt qua deinde ratione narcoticum & sensus stupefactiuum sit dictum non aperias? forsan tale esse ignoras? nequaquam, aut igitur philonium est frigidum, aut minimè narcoticum nec ratio, qua moueris quicquam valet, nam si Ioannem Michaelem Sauonarolam inter medicos non post habendum super nonum ad Almansorem semel prælegisses non ita Gal. dictum falsum existimasses, quinimò philonium quo modo frigidum dicatur, cum

11. meth. c. 1.

Trac. 6 cap. 16. rub. 13.

multo

multo plura calida intrent in ipsum facile didicisces. Docet enim Sauonarola ibidem quod licet calida quantitate substantiæ & massa excedant frigida, hæc tamen prǫualentes vires habent, vnde natura his vtitur principaliter, illis verò secundario & accessoriè, & vt correctiuis nocumentorum opij & iusquiami, & hoc est quod voluit Gal. docens loco paullo suprà citato cauendum esse à recenti philonio, cum frigida quæ in ipso sunt præualentes vires habeant, imò subiungens nec valdè antiquum offerēdum esse, ne spem nostram frustaretur, sed tandiù dimittēdum, quo ad violentia refrigerantium ab eorum, quæ calfaciūt, vi mitigetur, innuere videtur, non ob calidorum quantitatem in ipso intrantium, philonium dici calidum, sed ob temporis antiquitatem; qua frigidorum facultas remittitur, quemadmodum vice versa in principio ob frigidorū vim, iurè frigidum habendum est, imò timendum ob idq; non propter calida, sed ob frigida narcoticum dici. Itaque sententia hæc tanquam immaginaria à sermone isto explodenda ac pœnitus renuenda est, sed quo modo iuxta hanc doctrinam saluetur problema paullò infra manifestum fiet. Alterius autem solutionis occasio nascitur ex ijs, quę superioribus capitulis dicta sunt, quę in præsentiarum repetere superuacaneum fore existimo, solum prętęrea examinandum est, id quod ex Gal. doctrina difficultatem facere videtur, vbi somnifera à narcoticis dictis differre docens, non video qua ratione lolium prout somnum est inferens, stupefactiuum dici possit, nam si à somnolentia inducta lolium nuncupari debet, potius somniferum, quam stupefaciens vocandum venit. Sed nullo negotio tollitur hæc difficultas si diligenter Gal. verba examinentur, habet enim ea quæ duntaxat humectant, omnia merito somnifera vocantur quæ verò perfrigerant nec somnum, nec indolentiam afferre rectè dicuntur, sed pro somno coma & caron, pro indolentia ob perfrigerationis ex-

P° de cau. symp. in fine.

cessum, vel prorsus insensibilitatem, vel certè sensum diminutum stupefactiua iurè nuncupantur. Ex quibus eligi debet somnifera dici quæcunque naturalem somnum gignunt, quæ vero non naturalem, & cum euidenti sensus diminutione stupefacientia vocari, ex supradictis autem satis superq; constat lolium nonnaturalis somni esse causam, imò quasi pro somno in quibusdam coma, & caron efficere, clariusque in alijs sensum & motum diminuere, vt non incongrue stupefactiua virtus ei adscribatur, quare Galen. locus magis huic sententiæ fauet, quam quod vlla ex parte aduersetur. Reliquum est, vt qua ratione calida nonnulla stupefactiua dici mereâtur, aperire non grauer.

4. primi can. c. 5 Auicen. docens modum succurrendi ijs, qui pharmacum euomunt, talia profert verba; Et qui medicinam abhorret debet masticare parum ex tarchon, ideo ut sui oris virtus stupida fiat &c. vnde Anton. Maria Bettus Mutinensis olim in Accademia Bononiensi summus Philosophus, atque Medicus, in suis Commentarijs exponit tarchon plantam esse, cuius piretrum est radix, & est planta, inquit valdè calida, quæ pro tanto stuporem inducit, pro quanto humidum radicale, & calidum innatum resoluit, licet contrariæ opinionis fuerit Ioan: Mattheus de Gradi, qui de cura sodæ uerba faciens contra Iacobum, dum docet quot modis dolor sedetur, sic ait. Et nota propter Iacobũ qui dicit, quod stupefactio doloris fit aliquando à causa calida, sicut dicunt de piretro, quod dictum non est tenendum, ut alibi declaraui &c. Sed parcat mihi tantus Vir, parum sibi constans uidetur, quãdoquidem paullo supra docuerat ex Galen. mente infrigidationis causas esse quinq; *Lib. de morb. cau.* inter quas caliditas quoque enumerabatur, quæ resoluendo infrigidare poterat, ut clarius etiam habetur apud Gêtilem. Sed Conciliator & ipse stuporis causas enumerans, *2ª primi doc. 3ª c. 29* caliditatem recenset, utpotè quæ spiritum resoluere apta nata sit iuxta Hipp. dicentem calidum ubi sæpius eo utatur,

tur, hæc mala affert carnium effæminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, & quæ sequũtur. Hac igitur ratione calida aliqua etiam stuporem inducentia dici possunt, quare lolium stupefaciendi uim utroque modo obtinere unicuique clarum esse potest, & ut calidum quoddam, & ut somniferum stupefactiuum existẽs, quod ex dicendis clarius adhuc apparebit.

Dis. 73 in appẽdice. 5°. aph. 16.

Lolium cur nauseam & non vomitum generet, & inde etiam ventriculi concoctionem grauiter offendat.

Cap. IX.

QVATVOR adhuc restant super quæ paullo magis theoricè immorandum esse censeo, cum multa doctrina referta, tum etiam quia pro veritate rei indaganda non parum difficultatis admirationisque sunt nacta, quorum primum est quo modo lolium maiori ex parte nauseam, vomendiq; desiderium, & non vomitum generet, primamq; concoctionem ita vitiet, vt in reliquis regulari non valeat. Alterum est quo philosophiæ munere, aut experientiæ beneficio lolio correctiuum faba adscribatur. Tertium, an sicut ex tritico lolium generari pro certò scimus, ita & ex lolio triticum renasci sperandum sit. Vltimum an cum in genere veneni comprehendatur, tantæ sit malitiæ, vt mortem inferre possit, necne. Quibus pro virili declaratis fortè consilij mei metam saltem attigisse non dubitabo. Pro hoc munere obeundo illud prius sciendum est Naturam ventriculo duo præter cætera concessisse orificia supernum, scilicet quo cibus & potus per stomachum assumatur, & inferum quo cibi in cremorem conuersi ad intestina trãsmittantur, hincq; fit, vt quandoque ventriculus ipse, dum

ea, quæ

ea,quæ molesta sunt expellere conatur, & per superiora, & per inferiora quoque eadem excernat. Sed de his motibus qui per infernum os accidunt in præsenti non est locus, solummodo de illis, qui per supernum contingunt dicendi datur occasio,& prout ex Gal. doctrina eligi potest ij sunt in quadruplici discrimine, & singulus singulatim nomen sortitus est. Primus dicitur suppinitas stomachi. Secundus eiusdem subuersio. Tertius nausea, & vltimus vomitus ad quem singultus ipse redduci poterit, ita vt sit veluti ordo quidam à debiliori ad validiorem motum virtutis expultricis ipsius ventriculi: de primo sic dicebat Galen. quæ vulgo vocatur resuppinitas stomachi fit ex quacumque intemperie citra humorum malitiam, quin & ex humiditate copiosa, non tamen maligna qualitate, nam stomachus copiosa humiditate irriguus laxatur neruorũ instar,& ligamētorum,& hęc dispositio curatu inter omnes facillima est, medicamenta requirens, quæ humiditatem siccare, corpus laxatum contrahere, ac stringere possunt: de secundo autem Doctores omnes conueniunt, vt duo per hanc vocem intelligi possint, nempe & appetitus perditio, & nauseosæ affectiones ab accepto cibo fientes, contingit enim quandoq; vt post cibum si paullo fortiori motu moueantur, aut hùc & illuc se ipsos vertant, statim euomant, & tales stomachicos appellare consueuerunt, sed de his pariter in præsenti non datur occasio, solũ namque de nausea & vomitu considerãdum est, cum propriè quando vomendi desiderio præmimur, licet vomitus non subsequatur nausea dici soleat de illis autem tantum mentio facta est, vt hęc facilius intelligi discriminariq; possēt. Galen. igitur de tussi uerba faciens dicebat quod sicuti uomitum nausea præcedit, ita tussim screatio, & sicut quibusdam screantibus non sequuta est tussis, ita nõnulli nausea affecti nõ uomuerũt. Ex quibus clarissimè colligitur quod nausea præcedit uomitum, & quod non semper ad nauseam

8. de cõp. medi. s. loc. cap. 3.

2. de cau. sip. cap. 4.

ſeam conſequitur uomitus. Quibus autem modis nauſea contingat difficilè non erit cognoſcere ſi eiuſdem verba recenſebuntur dicentis, cum enim uentriculus ex humorum, aut alicuius alterius pondere, ceu acrimonia affligitur tūc temporis ad nauſeam & uomitum mouetur, quia vt demonſtratum eſt in libris naturalium facultatum, ſingulis animalis partibus inſita uis eſt expellens, id quod in ipſis præter naturam conſiſtit, ſic enim irritatur à re, uel mordaci, uel grauante, ut eandem quacunque uergat expellere cupiat, & cum duo ſint uentriculo hoſtiola, unum ad gulam ſuperius, alterum inferius ad piloron, id quod offendit, ad quodlibet horum expellendo deriuat. Scatent autem vndequaque corpora, quæ ex lolio nutriuntur ſuccis improbis, atque ex toto pro nutritione flagitioſis, cum ventriculi concoctionem illud adeo incommodet, vt inde prauorum humorum copia non egrè oriatur. Sed cur eſt vt nauſea ſine uomitu magna ex parte in his excitetur, cum præſens ſit humorum affluentia? Id clarū fiet ſi prius qua ratione lolium ventriculi concoctionem vitiet examinare non prętermittā, quod vt fęlicius cōſequatur, omnia ad perfectam ventriculi concoctionem requiſita breuiter recenſere opus eſt. Sunt autem hæc præcipua quæ deſumuntur, vel ex parte ipſius ventriculi, vel ex parte eorum, quæ intro aſſumuntur, ex parte vētriculi requiritur facultas naturalis concoctrix, vt principale operans, deinde calor naturalis, qui veluti ipſius facultatis concoctricis interſit, tanquam inſtrumentale agens, munitus & fotus ab intrinſecis coadiuuantibus, putà calore membrorum ventriculo coadiacentium, & extrinſecis ſomno inquam coopertura pannorum, accubitu ſuper latus, quiete, mentis tranquillitate, & ſimilibus, etiam ventriculo ab intus, vel ab extra medicamētosè approximatis. Ex parte verò eorum quæ de foris offeruntur requiritur proportio eorundem cum agente in ſubſtantia quantitate, qualitate, forma ſpe-

3. de ſymp. cau. c. 2

ma ſpecifica, & ordine, quibus omnibus, vt commune quoddam vtriq; parti neceſſario requiſitum præſtat tempus ſufficiens, & opportunum ad hoc opus peragendum. Si igitur contigerit vt in altera ex ennumeratis conditionibus error comittatur, & ipſam quoque concoctionem vitiari haudquaquam mirum erit, prout perfecta, & omnibus numeris abſoluta fiet, illis omnibus in vnum conſpirantibus. Age igitur ſi quis forti virtute & valido calore tam ipſius ventriculi, quàm membrorum & cęterorum coadiuuantium ſit præditus, habeat locum rectè diſpoſitum, & quęcunque deſiderari poſſunt pro parte ventriculi, aſſumere verò cogatur gratia cibi aliquod ex lolio conflatum etiam optimè concinnatum, cum tale & ſubſtantia & qualitate & forma non ſit illi congruum proportionatum vè licet nec in ordine, aut tempore ſufficienti error accidat nec in quantitate ipſa, neceſſario tamen euenit vt concoctio vitioſa euadat, ſubſtantia quidem & qualitate, quia cum ſubtilis ſit eſsentiæ, & efficaciter calidum, & proinde acre, calorem naturalem reſoluit, & reſoluendo inſtrumentum debilitat, indeque facultas imbecilla redditur, & ita cruditatibus occaſio datur, quas ita conſtipat & impingit, ut vix diſsolui queant, & hinc merito irritatur nauſea, & impeditur uomitus, craſceſcunt enim viſcoſęq; efficiuntur acrium medicaminum calore & ſiccitate ut ſuſtinentes quid ſimile toſtioni fiant ex Gal. doctrina, & ita quoque tot euaporationes de quibus ſuprà, ortum habēt, quia vt dicebat Auic. cibi calidi, qui leuis ſunt ſubſtantię, multum cerebro nocent, imò ſubiungit ipſe, ſtomachum mordicant & lædunt os ſtomachi & faciunt cadere virtutes quatuor naturales & faciunt accidere in ſuperficie ſtomachi, & inteſtinorum vlcera, & de proprietate eorū eſt calefacere ſanguinem & ipſum putrefacere, ſicut magis propriū eſt ijs qui grauis ſubſtantię ſunt inferiora mēbra lędere &c. Lolium autem ex ordine eorum eſse, quæ

10. de comp. med. ſ. loc.

Lib. de remou. noc. acc. id. in reg. ſanit. tra. 4.

ſubtilis

ſubtilis eſſentiæ exiſtunt, ſuprà ex Gal. mente pluries dictum fuit, quibus vitijs ſi qualitatem quoque addiderimus venenoſam, & fortaſſe formam ſpecificam illud omni prauitate inficiemus, & ob id non mirandum ſi primæ concoctionis error à ſecunda corrigi nõ poſſe affirmauit Gal. cum ex Hipp. ventriculus tãquam Rex in homine locum habeat, & tantam neceſſitatem in eodem ſortitus ſit, vt ſi quandoque errat, vniuerſum corpus detrimentũ patiatur. Sed tempus eſt, vt qua ratione lolij pernities corrigatur cum fabis examinari proſequatur. *4. de tuen. val.*

Quo modo fabæ dicantur lolium corrigere.
Cap. X.

FABAS fieri lolio correctiuum maxima profectò admiratione non caret, quandoquidem Doctores vnanimiter fabam peſſimam habent, Gal. namque inter cæteros de fabis ſermonem habens, eas flatulentas eſſe, etiam ſi coctæ diutiſſimè fuerint, ac quouis modo paratę aſſerit, imò ſi quis huic cibo aſſuetus minimè fuerit, aut ipſum non bellè percoctum ſumpſerit in toto corpore tenſionem quandam velut à ſpiritu flatulento perſentiet, habent enim fabę ſubſtãtiam non denſam, nec grauem, ſed fungoſam ac leuem, & licet frixę flatum deponant cõcoctu tamen adhuc difficillimæ euadunt, & tardè prętereunt, & groſſi ſucci alimentum corpori præbent, quod ſi virides priuſquam maturę ſint, atque exſiccatę edantur, idem eis accidet, quod fructibus omnibus, quos ante perfectam maturationem mãdimus, humidius ſcilicet corpori alimentum pręſtabunt, ob idq; excrementoſius non inteſtinis modo, ſed in toto etiam habitu, merito igitur fabę huiuſmodi minus quidem nu- *P°. de alim. fac. ca. 19.*

7. de simp. med. fa. cap. 59 triunt sed promptius deijciuntur, hactenus Gal. qui & alibi fabarum temperamentum docens, dicebat eas in vtroque medij temperamenti proximas in exiccando refrigerandoq; esse, verum vt edulium flatulentas ac coctu difficiles existere confirmabat. Ex quibus tantum abest vt faba lolium corrigat, vt potius vitia eius vndequaque corroboret & augeat. sicca enim & flatulenta existente, vt inde

De rōe acut. tex. 18. com. 1. Gal. in Hipp. appositè dixerit pulmentum ex faba fressa neque si tribus coxeris diebus flatu viduum orbatumque reddideris, cum ex propria substantia quod flatuosum est, habeat, non autem ob diminutam cocturam veluti ptisana, non video quin potius symptomata prædicta grauiora reddat, quàm quod eadem impediat, atque rursus dissi-

16. tertij trac. 5. c. pr. pet, quod adhuc ex Auic. manifestius apparet, docente fabas generationis multæ phlegmatis esse causã, & proinde (addas tu) magis idoneas ad materiam flatulentam, quod etiam clarius expressit, dum alibi in somniosas ipsas esse

3. Lib. tract. 4 cap. 4. scribit, atq; timorem in somno commouere. Ad summũ nisi aliquem vecordiam mihi vitio vertere suspicarer fabas lolio peiores affirmare non dubitarem. Ecce Aræteus

1. morb. diutur. c. 2. Cappadocius qui fabam omnium leguminum pessimam vocat, & Ioannes Matteus de Gradi ait si fabæ comestæ

super 9 ad Alm. cap. de tussi. fuerint à gallinis eas ab ouis steriles reddẽt, ob idq; Pythagoreos fabarum esum vetasse legitur, quod comestæ mulieres infæcundas ducant, & Theophrastus scribit fabarũ putamina radicibus aut germinibus plantarum nouella-

5. de plant. cau. ca. 21 rum apposita earum vitam pænitus tollere, quod certè in maximam sui admirationem me trahit, vt inde fabas omni prauitate refertas dicere non timeam, sed de his hactenus quãdoquidem & fabas pęnitus inutiles esse haudquaquam scio. Hunc igitur scrupulum enodare volens, vniuersam plebem prius accerso rogoq; vt explicet mihi qua ratione fabis faseolis et similibus leguminum ferculis tritũ piper superaspergat, quę cõgregata vna voce, vt flatus dissipentur,

ſipentur, reſpondet. Mirari profectò haud non poſſum dum infimates, philoſophicos atque medicos ritus, ſolo naturæ ductu imitari obſeruariq; cernuntur, ac ſi intelligentia ducerentur. Hæc enim eſt ipſamet Gal. doctrina in mille locis, at pręcipuè in capite de fabis prope finem vbi docens quomodo fabarum flatulentiam vulgares corrigant, ſic ait. Aliqui fabas inflare ſentientes cæpas admiſcent cum pultem in patinis ex ipſis ſtruunt, alij cępas crudas nec ſimul elixas cum ipſis mandunt, quicquid enim omnibus cibarijs ineſt flatulentum, id per calefacientia & tenuantia corrigitur. Dij boni quid clarius dici poteſt pro correctione fabarum & quarumcunque materierum flatuoſarum? ſed ad rem, hoc ita ſuppoſito crederem & pro certò affirmarem fabas non corrigere lolium niſi per accidens & ſecundario, ſed rectius lolium eſſe fabarum correctiuum primarium & cum mixtio ſit miſcibilium alterabilium vnio, hinc eſt quod lolium caliditate & tenuitate ſua corrigendo flatulentiam fabarum ex cōſequenti eius actio impediatur ita vt ad vlteriora procedere non valeat, & ita dum in agendo patitur, fit vt ſymptomata, quæ aliàs excitari ſolent, ſopita remaneant. Superabundante enim materia flatulenta, ſic lolij caliditas hebetatur, vt caloris hyemis inſtar flatus excitare nequeat, quod ex inde clarum redditur dum fabas quantitate quàm dupla lolium excedere miſcent. Quare ne ad occultas facultates cōfugere cogar, & ad ſympathian quandam inter hæc ſemina requiſitā, hæc ſit pro hac re interim ſententia mea, donec veriorem mediter, aut certiorem à doctiori minerua conſequar.

1. de alimen. fac.

An ex lolio triticum renaſci contingat ſicut ex tritico lolium gigni certum eſt. Cap. XI.

QVAMVIS parum referat in re medicæ ſcire an ex lolio triticum regenerari contingat, ſicut ex tritico lolium produci certiſſimum eſt, nihilominus vt omnia quæ pro hac re dici poſſunt ex parte nos attigiſſe videamur, operępretium erit problema hoc diligenter perpendere, atque illius veritatem pro poſſe indagare. Occaſionem dubitandi circa hoc præbuit mihi P. Andreæ Matteoli in Dioſcor. aureum opus, quod ex vltima impreſſione, poſt hæc, prę manibus habui, nam dum plura in his, quàm in prioribus legi animaduerterem ſtatim quò valdè nonnullos exagitat, perueniens, certò lolium in triticum reuerti ab eo doctus ſum. Hic enim aduerſus aſſerentes plantas degenerare ſemper in peiores, inuehitur ſic inquiens, non ſolum triticum & hordeum in lolium trãſmutari cernimus, ſed lolium ipſum in triticum quoque reuerti pro certò habemus Agricolis tempeſtatis noſtræ atque Bubulcis id non tantum affirmantibus, verũ
4. de plant. cau. c. 6 etiam hoc idem Theophraſto ſimilibus aſſerente. Res ſanè mirabilis eſt nonnullas res in alios tranſmutari, ut quando frumentum in lolium, & contra lolium in granum verti ſpectamus, ex quibus poſtea longa oratione Matteolus contra eoſdem proſequitur conuitijs multis afficere non
2. de hyſt. plãt. c. 5 deſinens, & adducit alterum Theophraſti locum in quo Tipham & Zeam ſingulo triẽnio in quibuſdam locis granum ſeu triticum fieri docet, quinimo & alibi Cupreſſum
6. epid. in calce. fęminam in marem conuerti affirmat. His non contentus ex Hipp. etiam teſtatur Phetuſam Piteę coniugem, quæ ante prolifica extiterat in Virum piloſum & barbutum degene-

degeneraſſe, & Plinium citat, qui in Africa proprijs oculis Lutium Coſſicum Triſditanum Ciuem ex fæmina Virum factum ſpectauit. Quarè Naturam ſemper rei melioris authorem eſſe credendum eſt, & proinde mirum non eſſe quandoque ex lolio granum fieri poſse. Quod nonnullis vt quid impoſſibile exiſtens, hiſce ſuum exponunt conſilium, Gal. de lolio verba faciens dum Patrem comẽdat qui maximam diligentiam in vnoquoq; ſeminum genere adhibebat, vtpotè qui valde agricoltura delectaretur ſic ait, Pater meus triticum ac hordeum aliquando ſeminauit omnibus diuerſi generis ſeminibus quæ ipſis erant admixta diligenter ſelectis quo certò cognoſceret num ex ipſorum mutatione lolium & ægilops naſcerentur, an propriam quoque hæc ſemina naturam haberent &c. Et paullo poſt docens ex obſeruatione facta granum conuerti in lolium propter anni prauam conſtitutionem nullo habito verbo de propria eorum natura, arguendum eſt potius ſemper frumentum degenerare in lolium praua anni conſtitutione exiſtente, quàm lolium in granum reuerti. Mirum enim profectò videtur Galenũ de hoc regreſſu nullibi mentionem feciſse, cum tot circa ſemina obſeruationes adhibuerit eius Genitor, prout ibidem fuſius intelligi poteſt. Amplius ſi verum credimus (vt veriſſimum eſt credendum) Ariſt. dictum, à priuatione ſcilicet ad habitum non dari regreſsum, qua ratione poſtmodum ex lolio regenerari triticum affirmabimus? nec valet Agricolarum fides quandoquidem eorum obſeruatio non eſt tuta, ſed potius apparentia quædam ſumentes enim triticum quod colligunt ex diuerſis ſeminum prauorum generibus refertum pręcipueq; lolio, & illud ſic mixtum propter paucum grani prouentum ſeminantes, fit (ſi optima anni conſtitutio ſucceſserit) vt lolium perdatur, grani autem portio ſeruetur, exindeq; lolium in triticum regeneratum prędicent. Nec obſtat Zeam & Tipham in quibuſdã locis

1. de alim. fac. ca. vlt.

ſingulo

ſingulo triennio in granum conuerti,quandoquidem hoc dato potius locorum naturæ aut climatis benefitio id munus eſt adſcribendum,quàm dictis ſeminibus, quoniam ſi hoc ex ſe poſſiderent, eorum vbique ſimilis ſpectaretur euentus,quemadmodum etiam parum concludit id quod adducunt de cupreſſo fæmina in marem conuerſa & de alijs exemplis tam mineralibus & ex putri materia ortis, quàm ex Hipp. & Plinij teſtimonio adductis, nam optimè ſcimus naturam ſemper à rudiori materia ad perfectiorem formam introducendam intendere, & nullo negotio finem ſuum in his præcipuè conſequi,quæ aliquam inter ſe videntur habere ſymboleitatem quia vt docent Philoſophi in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus, vnde cum fæmina ex Ariſt. fit quaſi mas læſus, & alibi ſit mas occaſionatus, mirum vel ſaltem impoſſibile non erit ſi aliquando fęminam in Virum degeneraſſe audierimus, cum natura ſemper ab imperfectiori ad perfectius progrediatur & quod melius eſt ſemper deſideret, at quod eadē natura perfectius perdat pro imperfectiori producendo, vt ex hoc iterum æquale & illud idem perfectum generet nullibi eſt auditum, quare cum lolium ſit granum corruptum prout demonſtratum eſt ex ſentētia meliorum Doctorum, & præcipuè Gal. hoc idem ex lolio renaſci impoſſibile eſt habendum. Quid hac in re proferendum ſit, equidem non ita libere aperire audeo, cum ex altera parte hoc tanquam impoſſibile ſentiam,& idem propter grauiſſimos Viros ex una haud difficile eſſe intelligam. Profectò ſciui peroptimè naturā facere de poſſibilibus ſemper quod melius eſt, ſed iuditio meo hoc non tollit difficultatem, ita enim ad hæc omnia facilis eſſet reſponſio, vnde quoniam in hac controuerſia Iudex fieri nequeo propter duo quæ valde me reddunt ancipitem, ob id munus hoc doctiori mineruæ dimittam diſcutiendum, ut tacendo clarior intelligar, quàm loquendo obſcurior fiam, ſunt

2. de gener. anim. c. 3.

autem

autem hæc experientia ex vna, & ex altera famosa ppositio à priuatione ad habitũ impossibilem esse regressum, cui enim in hoc casu magis est adhærendum? Quando ratio & experimẽtum inuicem in vno quoppiam pugnare videntur ex omnium consensu standum est experientiæ tanquam à notioribus procedenti, singularia enim de quibus precipuè fit experimentum prout proximiora sen sibus, nobis manifestiora statuebat Philosophus, & propterea dicebat ille Medicinæ Doctor Arabs, volo & desidero cum experientia me saluare & damnare tam in vita quàm in morte &c. Hinc Auic. & ipse experimentum esse id in quo confidimus autumat. Rationi autem magis confidendum asserunt alij, quoniam hęc experientia verior existit, ratio enim ab intellectu emanans & experimentum à sensu, qui per effectus procedit, ob hocq; magis fallax, intellectus verò per causas, et ob id verior, sequitur de necessitate rationi magis quam experientiæ insisten dum esse. Vah cur non licet mihi circa hoc aliquid pronũ tiare? Hęc sit interim opinio mea vtrique sententiæ haud quicquam derogans, lolium si quando in triticum reuerti contingat vt experientia docent, id propriè & per verum ad habitum non fieri regressum, sed potius proinde naturæ diligenti solertia, per quoddam (si licet) sublatum impedimentum. Dum enim triticum (ut aiunt) in lolium aliquando transmutari contingit, crederem illud non fieri per generationem quæ est mutatio totius in totum, nec per generationem, cui contrarium maximè commune est putredo, vt propterea triticum vndequaq; corrumpatur, ita quod omnimoda frumenti natura priuetur, sed potius per generationem, quæ ex putri materia & ex putredine secundum partem initium sumit, vt supra demonstratum est dum de eius generatione sermonem habui, itaq; etiam aliqualem in eo seruari seminalem vim, quæ corporum cælestium motu & lumine educta de potentia materiæ, terreno

1. post. cap. 2.

Prima 4. ca 1.

corruptivo

1. de gener. tex. 23. 4. meteo. c. 2.

terreno mediante nutrimento, formam pristinam atque perfectam tritici denuò recuperet, quia sublato corruptionis gradu, per quem tritici forma aliquo pacto priuata videtur, illico rursus introducta, granum optimum naturæ benefitio renascitur, & ita ex lolio triticum quandoque fieri affirmare non erit incongruum. Et hoc idem innuere visus est Gal. loco toties citato, dum Pater eius cognoscere cupiens an lolium ex grani mutatione nasceretur, an verò propriam haberet naturam, concludit sibi compertum habuisse propter prauam anni constitutionem frumentum in lolium degenerasse, quasi quod ex se lolium naturam seminum haudquaquam possideat. Nec repugnat hoc Philosopho, cum & ipse doceat duplicē reperiri mixti putredinem, vnam quidem secundum partem & alteram secundum totum, quæ mixtum forma substantiali penitus expoliat, illa autem solummodo temperamētum diminuit, & licet in aliam naturam transire videatur, sicut vinum vbi per putredinem transiuit in acetum, seruatur tamen adhuc multum temperamenti eiusdem formæ substātialis, quod potest adiutum ope alicuius extrīseci alienum temperamentum quandoque expellere, vt quotidie quoq; in febribus putridis fieri experientia constat, indeq; dari regressum, qui quidem impossibilis est de putredine secundum totum in qua mixti temperamentum, ita alteratur vt ipsius forma tollatur substantialis. Quo modo autem in lolio saluari possit hæc tritici seminalis virtus, id nobis perobscurum fiet, si naturæ sagacitatem & prouidentiam pro qualibet re conseruanda adhibitā neglexerimus, hæc enim vt docebat Gal. semper suis viribus freta quicquid optimum reddi potest, assimilare conatur, nedum postea quod iam assimilatū est pro posse custodire, quinimò ex Hipp. oraculis Naturam peritissimam, sapientissimam, iustam, artificiosam, maximè prouidam, solicitam miro encomio celebrauit, & Philosophi antiquiores tantis à

4. mete.

2°. de dif. feb.

5. de vsu par.

summo

ſummo rerum omnium Opifice Deo, Naturam eſſe ornatam dotibus adeo crediderunt, vt tãquàm peritiſſimam ac ſapientiſſimam hymnis celebrandam rectè conſueuerint. Quare mirum eſſe debet (licet nõ impoſſibile) ſi quandoque ex lolio triticum renaſci experientia conſtet, ſeruata adhuc irrefragabili ſententia à priuatione ad habitũ non dari regreſſum. Sed de his hactenus, quandoquidem adhuc certiores fiemus, ſi diù vixerimus, cum omnes ferè in iſtis regionibus, tum propter paucum tritici prouẽtum, cum ob lolij maiorem exuberantiam, multum illius ſeminare fuerint coacti: &c.

Lolium cum venenoſum ſit, an mortem inferre valeat, nec ne. Cap. XII.

VIDENDVM eſt vltimo loco, quibus neceſſarium indagare cenſeam, an lolium mortem inferre valeat, nec ne. Hac hyeme circa mediam noctem dolor internus ita vehemens & peracutus Amitam meã inuaſit, vt ſibi ipſa diffidens eum diù ſufferrire non parum de vita mihi verendi occaſionem præbuerit. Cor enim & Ventriculus inteſtinaq; ita illi accerrimo dolore infeſtabantur vt terebelli inſtar perforari viderentur, multum nauſeabat, ſed vomere non poterat, vnde illius clamoribus & aſſidentium de domo tumultuoſa locutione, expergefactus in altero cubiculo non multum procul ab ea iacens (multo enim mei incõmodum habebat, vt vocari non permitteret) à lecto proſilui, ad eamq; acceſſi, & tãti mali cauſam ab ea ſciſcitari non deſinens, nihil aliud quàm heu me morior, pro reſponſione habui, hinc ego perterritus tum propter exitium quod dolor minabatur, tum etiam quia imparatus aderam, nec rei cognitionem atque eſſentiam intelligere poteram, ſtatim cum

eam vomendi desiderio pręmi spectarem, deliberaui vomitorium ei pręscribere, quod necessitate vrgente, manu propria ex aqua tepida cum aceto & saccharo paraui, & illud idem ei exhibui, quod auidè exorbuit, & subitò pro clystere mihi ex carminatiuis rebus recepto (suspicabar enim de flatibus) quod ubi primum adportatum est, cum vomitorium adhuc reddere nō posset, eidem imitti volui, & paullo post depositum, humorum copiam biliosorum & phlegmaticorum eductam inspexi, sed inde nulla ferè ex parte dolorem sublatum confessa est, iterum diligenter eam percunctans de symptomate nihil ad interrogata respondebat, instabatq; solum vt aliud sibi daretur vomitiuum, quod lubenter concessum & exhibitum, statim somno correpta vsque ad clarum diem dormiuit, quæ tunc temporis expergefacta sana & incolumis Dei gratia è lecto surgit. Rursus sedulo interrogata, in lolium panis, quē in cæna comederat sibi à vicina restituti, totam culpam conferebat. Sed adhuc mirabilius est quod aliquibus post diebus ab hystoria enarrata contigit excellenti cuidam, per stipendia medicinam apud nos profitenti (cuius nomen consultò reticere lubet) qui cum Artocopi pane continuo vesceretur, vnde mihi sæpius in lolij nocumenta incurrisse retulit, semel ab accidenti quoddam ita grauiter depræhensus est vt in lectum se se recipiens inquietusque ac non parua ærumna vexatus de latere in latus semper se ipsum vertens, nemini culpæ dare conscius, in veneni suspicionem statim inciderit, & ita pro certò rem habuit vt post multa alexipharmaca sumpta breui vitam cum morte commutare hæsitans, nonnulla cum properatione scripserit, quæ ac si publicum testamentum extarent, valere mandauit, & ita sane postea Deum non intermittebat veniam poscere. Illicò res per Ciuitatem diuulgata vnusquisque proposse negotium sentire studebat, & quamuis Hyspanorum Peditum excellēs Medicus, Lucas Lopes de

Eraſo, nomine propoſſe eum conſolaretur, metumq; potius, quàm affectum profligandum cenſeret, nihilominus ſemper adhuc magis timore corripiebatur. Deniq; poſt multa intrinſecus & ad extra adhibita præſſidia, ſuperueniente ſomno, altera die egreſſus eſt. Tunc ei læta fronte obuiantibus Amicis de morboq; inquirentibus, venenum ſibi exhibitum cuilibet affirmabat, mihi ſolum non ita liberè hoc propalauit, ſed tantummodo dum angore cruciaretur ſic timuiſſe manifeſtauit. Equidem ſciui per Illuſtriſſimum D. meum Comitem Camillum, qui tanquàm valde ridiculum, ſicuti per prius non parum eius miſerebatur, aliquibus ſecretò narrabat eum ita paſſum fuiſſe propter panem, quem comederat ex lolio infectum, vnde ubi primum Excellens ab Illuſtriſſimo Domino viſus eſt, non eidem valdè irriſui per plures dies nō eſſe potuit. At quod omnem fidem ſuperat eſt duorum fratrum de Cingarinis miſerandus euentus nullo inſigni morbo laborantium, qui poſt hæc die 25. menſis Aprilis feſtiuitati Marci Euangeliſtæ dicato à cæna, poſt primum ſomnum confeſtim ſemi horæ ſpatio diem ſuum obiere, quorum hyſtoria ſic ſe habet ii fratres ſtatim à prandio foras profecti, vt herbas ad vſum cibi neceſsarias leggerēt, circa veſperas domum reddientes miſcellam quandam Matri tulerunt ex origano, betonica, menta, rumicibus, boragine, & huiuſmodi & valdè cum Genitrice conqueſti de ſtupiditate quadam, quam tota die paſſi fuerant, hæc illis pari modo ſibi eueniſſe reſpondit, totamq; culpam in panem emptum contulit, qui ex farina loliacea (vt ita dicam) erat conflatus. Hęc inquam ſumptis herbis teſtaceum pulmentum pro cæna parauit cum farina, quam nupta filia eidem donauerat, hocq; peroptimè coctum vnà comederunt & paullo poſt dormitum ſe contulerunt, at quatuor tranſactis horis omnes expergefacti præcipuè Germani inuicem quaſi per iocum ridentes, de capitis & cæterorum membro-

rum obdormitione quadam ac mentis ſtupiditate cóquerebantur, & ita colloquentes Ecce de repentè ijſdem circa cor oppreſſio facta, & inde magna ſolicitudine affecti in querimonias & plantus riſum penitus mutatum ſenſerint. Maior natu enim qui xxv. annum agebat & cui nomen Aurelius erat, dum matulam ſumere intendit, ſtatim de lecto cadens, vitam cum morte commutauit. Minor verò nomine Franciſcus xiij. annos natus magna voce clamans auxilium ſingulari ſtudio rogabat, maximeq; circa cor & ventriculum vexari aiebat. Illicò autem eorum Soror adoleſcentula ætate annorũ xv. Semiramis dicta, quæ meliori fortuna poſt cænam domum reddierat, tanta calamitate perterrita ingẽti eiulatu vociferationeq; vicinos inuocauit, qui (Genitricem enim & ipſam quoque deploratam habebãt) ſubitò currentes, & miſerabilem caſum inſpicientes confeſtim accerſitus ad eos properaui. Sed ſerò ſapiunt Phryges, nam dum aliquid ſciſsitari, & Pueri pulſum tangere intendo, & ipſe illicò extremum ſpiritum effudit. Ex his ego ferè exanimatus paullulum aſſidere fui coactus, indeq; omnes & ſingulos qui aderant percunctari non deſinens, totũ examen per hoc verbum neſcio com pletum eſt. Quare me ipſum ad Matrem conuertens Romanam nomine dictã, quæ & ipſa laborabat in extremis, ſacroſancta enim vnctione liniebat eam Sacerdos, cũ vomendi deſiderio premi ſpectauerim, vt vomere niteretur pluribus perſuadebam, ſed cum non poſſet ſtatim illi vomitiuum ex aqua, & aceto paraui & exhibui, quod bibitũ cõtinuò auxilium à Deo implorabat, cum antea quaſi muta crederetur. His non contentus cum vomitiuum adhuc reddere nequiret, eidem rurſus pateram olei ex oliuis in potu dedi, vt ſi quid venenoſi ſumpſiſſent, vnctuoſitate illius aliqua ex parte iuuaretur. Quæ paullo poſt ab olei aſſumptione, ſomno ſuperueniẽte obdormiuit, & Dei Opt. gratia ſana & incolumis mane experrecta ſeſe reperit, licet

cet summo dolore afflicta ob filiorum miserandum euentum sibi ad latus (proh dolor) repertorum. Denuò à me sedulò interrogata de origine & causa tanti damni, omnino nisi lolium criminari scire nihil iurauit. Non defuerunt qui filios pastinacas foris comedentes errasse dixerũt earumque loco cicutam inscienter sumpsisse, sed apud me hoc valdè ridiculum habetur, quandoquidem peroptimè scio vulgares nostros veram pastinacam non cognoscere, sed eius vice radicem plantæ, quam personatam vocant, vsurpare, quæ nullum habet cum cicuta conuenientiam aut similitudinẽ, vt inde decipi potuissent. At demus hoc, qua ratione postea eorum Genitrix quæ foras non iuit, eundem casum subire potuit? & mihi iure iurando affirmauit, nec cicutam nec quid cicutæ simile reperisse in herbis, quas ad eam deportauerant filij. Quare potius concludendum est aut aliquam ex herbis illis casu veneno infectam fuisse, aut lolium vt quid venenosum mortem inferre posse affirmandum. In hac re lolium mortis causam interdum fieri affirmare non dubitarem, tum quia in genere veneni suprà illud collocaui, & cõplexioni nostræ quo quo pacto aduersari ostendi, tum quia ex suprà narratis exemplis satis superq; clarum esse potest, nonnihil læthalis in se obtinere, cuius ratione eadẽmet symptomata, quæ venenum ipsum generat, in nobis parit & infert. Sed qua ui hæc præstare polleat diligentius indagari oportet, quandoquidem res ita simpliciter prolata nonnihil difficultatis habere videtur. Primum igitur animaduerterem quod dicitur à Gal. in de febribus, videlicet quod acris & mordax superfluitas his defluere solet, qui aut natura vitiosos habent humores, aut prauis vtuntur cibis, aut sæpius cruditatem patiuntur, at tum præsertim cum post huiusmodi cibos assumptos fæculentam, vel lutulentam atque ex lauinis vel piscinis, siue paludibus, siue quouis alio vitiatam ac putrescentem biberint aquam, prauos autem cibos vo- 1º. c. 4.

cat,

cat,aut quia illis hoc ipſum eſt à natura inſitum, aut quia licet natura ſint optimi, ob quoſdam tamen putrefactionis modos æquales prædictis habentur,& aliquādo etiam vitium contrahunt veluti frumenta,hordea,atque omnes aliæ fruges, quæ ad vſum cibi aſſumuntur, quarum nonnullæ temporis longitudine ad putreſcibilem ducuntur diſpoſitionem, aliæ quoniam male repoſitæ fuerunt humiditate replentur, quædam verò & in primo ortu rubigine deprauantur,quos cibos(ſubiungit)hodie quoq; vrgente fame plures coacti comedere, nonnulli quidem à putridis ac peſtiferis febribus interierunt, nonnulli autem puſtulas inſtar ſcabiei ac lepræ in corpore contraxerunt.

Lib. de euch. et cacoch.

Quibus ita præmiſſis ad eundem recurrerem vbi inueſtigare cupiens an in animātibus corruptio aliqua naſci poſſit ad eo vehemens,vt veneni tum qualitatem, tum vires æquet,ſubiūgebat hoc prius à Medicis enodatum diſcuſſumque fuiſſe, nā ſicut homo ſuaptè natura probis humoribus abundans ac ſanorum more educatus de repente moritur (vt læthali aſſumpto veneno fieri ſolet) deinde corpus aut liuens,aut nigricans,aut variū eſt,aut diffluens, aut præ marcore fœdum moleſtumq; reddit odorem, hūc venenum ſumpſiſſe aiunt, ita ſi eiuſmodi affectibus nos infeſtari fateamur,qui ex nobiſmet ipſis accepto ſuæ originis impetu ſimiles ſunt ijs, qui pernitioſo epoto veneno eueniunt,nihil igitur mirum ſi vitiatum ſemen, aut menſtruum cum retinetur, aut putreſcit huiuſmodi corporibus,vt afficiantur idoneis grauia inferat ſymptomata,ſicq; eodem modo vitioſo humore in animalis corpore genito paullatim tractu temporis principalium partium aliqua conſentit à qua deinde vniuerſum corpus celeriter alteratur. Quæ omnia fuſius exemplis declarat prout ibidem videri licet,& clarius alibi aſſerit, de fructibus horarijs loquens, quod ſi fortè in uentriculo corrumpantur ſimiles læthalibus venenis redduntur. Sed adhuc fortius hęc omnia

6. de loc. aff. cap. 5.

Lib. de euch. et cacoch.

nia comprobari possunt per ea, quæ narrat in suo de medica hystoria mirabili opere perillustris Patruus meus Marcellus Donatus Ponzani Comes & Sancti Steffani Commendatarius, summus Philosophus atque in re medica nunquam satis laudatus quo loci non solum humores in nobis mala qualitate venenata & maligna preditos generari probat, sed & hos ipsos breuissimo tempore mortificare demonstrat ratione & experientia multorum adducens subitos interritus ex venenati humoris intro geniti qualitate productos. His sic stantibus redderem ad Galenum dicentem animalium corpora semper difflari necessum esse, idq; duplici modo, effusis ad exteriora uaporosis atque fuliginosis superfluitatibus ac rursus attracta refrigerante ac ventilante natiuum calorem aerea substãtia, quæ quidem difflatio tantæ utilitatis est, ut etiam si corpus plenum uitiosis humoribus existat, dũmodo nulla obstructio aliquod ex uisceribus obsideat & liberè in totum animal per cutim diffletur ac refrigeretur, sanitate fruatur licet dubia ac momentanea, prout si terminum exteriorem constringi, ac penitiorum meatus obstrui cotingerit in multos morbos ac symptomata incurrere necessũ erit. Ex his omnibus modo dicerem lolium tanquam frumentum corruptum & granum quod suaptè natura in primo sui ortu aliquid ueneni possidet, mortem inferre posse, & per contactum & per putredinem, ut suprà abunde declaratum fuit, per contactum quidem in multa quantitate sumptum, ut proinde calorem nostrum debilitãdo ab eo mutari non sinat, & sic eundem undequaq; suffocet, non quia in corpore per operationem caloris non calefiat, sed quia non mutatur in sui forma naturali, ut docet Auic. de uenenis loquendo. Per putredinem postea dum concoctionem ita uitiat, & paullatim prauos in animantibus tractu temporis aceruando humores ad tantam quantitatem corundem redducat, ut præ copia uirtus impotẽs ad

Lib. 4. cap. 3. & 6. cap. 1. circa finem.

De feb. loc. cit.

1ª. primi. doc. 2. c. 15.

eosdem

eoſdem ſuperandos facilè putredinem contrahant,& tandem ex Gal. noxam, quæ quotidiè fit, ob exiguitatem ſenſu non percipientes, longo tamen tempore quod ex ipſa aceruatur, erupturum ſit, ſuperuenienteq; præſertim difflatione impedita neceſſariò mortem de repente adferat, prout reuera miſerandis fratribus cintigiſſe credendum eſt, qui diù (miſerrima conditione affecti) cibarijs peſſimis vſi fuerant, quibus tota cuti puſtuloſa ſcabioſaq; inſtar lepræ exiſtente, ſuccorum prauorum ac venenoſorum copiam tractu temporis factam certiſſimum erat, ijſdem fortaſse penitiorum meatuum obſtructione facta ex comeſtis herbaceis, & inde difflatione impedita fuligines putridæ ac venenoſæ cor ipſum petentes illud idem & in ſpiritibus,& in humoribus corrumpendo ita putredine affecerunt], vt proinde mortem illis actutum attulerint. Tanta enim eſt prauorum ciborum pernities timenda, vt Gal. in Hipp. morborum communium cauſam in eoſdem retulerit, prout multarum ægritudinum cauſam communem recte Hipp. aſſeruerat aerem. Prauis itaque cibis utentes, vel in ſuccorum cruditatem, vel in eorundem corruptionem aut in peſſimam cacochymiam incurrunt, nemo autem ad tantum vnquam dementiæ veniat, vt ignoret quãtum ad morbos generandos faciat aſſidua cruditas non ſolum quæ ad prauos ſubſequitur cibos, ſed & ad bonos, & quantum inſit in eo mali ſi contenti in corpore humores in venenatas degenerent qualitates, prout etiam cacochymia à prauis cibis genita omnes interimat, aut cum manifeſta alicuius viſceris inflammatione, aut ob vehementem & malignam febrem, præſertim ſi mitiores non præceſserint morbi: hæc enim eſt Gal. ſententia locis ſupracitatis & in mille alijs. Quare mirum non ſit, ſi ex lolio ratione caliditatis acredinis,& venenoſæ qualitatis in tempore tot ſæua accidentia contingere poſſint, præcipuè ſi corporis difflationem impediri accidat, ut inde non diffluat quod

1. de ali. fac.

2. de rat. hu. tc. x. 3.

acre

acre & mordax superfluumq; inanimantium corporibus existit, vt dictum est.

Methodus curandi, & præseruandi à lolij nocumentis.
Cap. XIII.

RELIQVVM est, vt natura lolij cognita, atque affectuum omnium ab eodem progenitorum essentia patefacta, quibus medicis auxilijs opitulari ijsdē possimus, manifestum reddatur. Et quoniam munus hoc bipartitum reperitur, duplici nimirū intentione inixum, altera προφιλακτικη dicta, quæ præcauendi rationem respicit, ne scilicet lolio vtētes in accidentia prædicta incurrant, & reliqua θεραπευτικη nuncupata, quæ methodicam curationem intuetur, quatenus in eadē incursos subleuat, & ad sibi conscios reddit, propterea de vtrisque agere studens à Præuisione sumam initium. Hæc duobus modis consequi potest, priuatiuè, scilicet atque positiuè, eo lolium penitus auffugentes, aut certè in minori quantitate quam fieri possit de eodem assumentes, hoc vero vaporum in ventriculo ortum prohibentes, aut productorum ad caput ascensum inhibētes, vel saltem caput ab illius nocumentis munientes. Prohibentur autem fumositatum à lolio generationes, vel calorem ventriculi adaugendo, ita quod fortior, seu intensior redditus, non modo flatus excitet, sed à lolio excitatos resoluat, ac dissipet, vel ipsummet flatulenta materia oprimendo, vt ad eam collatione facta, quasi imbecillior, lolijq; caliditas hebetior flatuosos vapores excitare nequeat, ascēsum itidem ac ascensorum nocumenta inhibemus, tum per reprimentia medicamenta, tum per os ventriculi supernum adstringentia, quæ stomachi sigilla dici consueuerunt, aut tandem per caput ipsum roborantia. Ventriculi igitur calorē auctum

redimus per ea, quæ intrinsecus assumuntur, & extrinsecus apponuntur, & quæ concoctricem facultatem roborare, augere, & perficere dicuntur, quorum alia simplicia sunt, alia composita, & ex his nonnulla, in forma liquida, in solidiori quædam parari cõsueuerunt. Ad intra ex simplicibus primum locum tenet mentha, quæ ex Auic. stomachum confortat, ipsum calefacit, digerit, singultum sedat, & alia plura præstat, prout ibidem, cumque calfaciat caliditate non admodum intensa, & virtutem habeat exsiccatiuam præcipuè phlegmatum in ventriculo redundantium leuemq; stipticitatem possideat, qua tollitur facta ab iisdem pituitosis cruditatibus ventriculi relaxatio, ipsasque crassas & viscidas subtiliet & dissoluat, & aromaticã facultatem habeat, per quam contrariatur fætori succorũ, vt plurimum propter eius infirmitatem in ventriculo corruptorum, merito inter cætera meret stomatichæ antidoti nomenclaturam, tot enim verę expedit habere medicinæ stomachalis attributa ex doctrina Mauritaniæ Principis. Inter omnes autem stomachales medicinas extollit Democr. pro eadem intentione exequenda, mastichem, quæ ex omnium consensu laxatum ventriculum corrigit, ipsumque in appetendo & digerendo imbecillum peroptimè restaurat, sed pro appetitu excitando, & concoctione rectificanda cæteris carui non est posthabẽdum ex Serapione, cuius commestio adeo laudabilis est, vt siue ante cibum, siue post edatur ventriculi sit confortatiuum, cordis calefactiuum, & cibi digestiuum, hac de causa ingreditur confectiones cibum descendere facientes. His addi possunt nux muscata, folium, marubium, galãga, calamus aromaticus, melissa, myrrha, xiloaloes, & alia id genus. Ex compositis valent aromaticum rosatum descript. Gabr. conserua bethonicæ, menthæ, diacinnamomum, diacalamenthum, vt Recipe spetierum diacinnamomi descript. Mes. drag. j. spetierũ diacalamenthi drag. ȝ. sacchari albi

2. can. c. prop.

13. ter. trac. 1. c. de ægritud. stom.

In aggregatore.

dissol. cum aq. absynthij unc. ij. & fiat confectio in rotul. drachmarum duarum singula, & ante cibum altera semper comedatur. Vel Rec. specierum elect. de ligno aloes drag. j. spet. elect. de seminibus drag. ij. sacchari albi cum aq. menthæ dissol. unc. iiij. & fiat confectio in rot. pondere drag. ij. singula, quæ accipiatur modo dicto, aut Recipe spet. elect. de ligno aloes drag. j. spet. diamusci dul. unc. ʒ. granorum paradisi dragm. ʒ. sacch. fini cum aq. menthæ dissol. unc. iiij. & fiat confectio cuius dosis sit ad drag. iij. superbibendo vini odoriferi modicum, & tempus est ante cibum per horam. Vel sic in forma liquidiori. Rec. Conser. bethonicæ, mēthæ aromat. ros. descript. Gabriel. ana unc. j. ʒ. pul. coriand. origani or. ana drag. ʒ cinnamomi el. drag. 1. & cum sy. de cort. Citri paretur confectio ad modum elect. de quo singulo die cochlear ante prandium & cœnam per horam deglutiatur. Vel sic Rec. ameos, spicæ, ligni aloes, menthæ, origani or. cinnamomi, gariophyllorum ana drag. j. macis drag. ij. sacch. unc. vj. & singulis prius subgiungitur pul. cum sy. de cort. citri, & saccharo dissol. in vino maluatico formetur elect. de quo sumatur vt supra. Ad extra ex liquidioribus valet extractum nucis myristicæ, succo absynthij, mastiche, & modico ceræ confectū, illitum. Vel sic Rec. olei amygd. dul. lib. iiij. vini albi odorati lib. j. masticis unc. j. nucis muscatæ, laudani, agallochi ana unc. ʒ. polij montani origani ana drag. ij. bull. in duplici vase ad consumpt. med. vini, deinde fiat fortis expressio ex qua paretur stillicidiū de more ventriculo irrigatum per xv. aut xx. dies, & per horam ante cibum, hoc enim maximè iuuatiuum est, & quaslibet ventriculi inflationes non tantum tollit, sed calidum innatum restaurat, & absque radicalis humidi detrimento conseruat. Inter solida præstabit, vt Rec. olei masticini, nardini ana dragm. ij. succi absynthij dragm. iij. vini maluatici dragm. ij. bull. in duplici vase ad vini con-

ſumptionem, mox adde corall. rub. macis, polij mont. ſchænanti, piperis albi, garyophyllorum ana ſcrup. ꝫ. pul. pul. & cum cera, reſina, & therebentina q.s fiat ceratum quod continuo ſupra ventriculi regionem corio geſtetur. Vel ſic Rec. olei maſtycini rec. unc. j. de nuce muſc. drag. ꝫ. mi. & ſingulo mane ventriculus illinatur, lanaq; ſuccida coco baphico tincta ſuperpoſita geſtetur, aut feratur ſacculus ex pilis leporis, vel pluma vulturis paratus. Obtundimus calorem, ipſumq; opprimimus, vt imbecillior reditus flatus excitare nequeat, ſi fabas in dupla quantitate lolio admiſceamus, his enim experientia conſtat illius actionem flatulentam nos impedire, idemq; volunt aliqui præſtare hordeum lolio commixtum. Flatuum autem aſcenſum reprimendo inhibemus ad intra quidem cum coriandis crudis tempore eorum aſcenſus maſticatis, aut cũ mica panis aceto, vel granatorum acetoſorum vino, aut hydroroſato imbibita, & comeſta, vel ad extra ſi caput oxyrrhodino aliquo muniatur, & aqua roſacea cum cãphura naribus admoueatur. Similiter os ventriculi claudendo, ſi à cibo vtamur dyacitonio, vel vuis paſſis, vel ſaccharo roſaceo, aut malis & pyris adſtringentibus coctis, quibus ſuperaſperſus ſit coriand. pul. cum pari ſacchari portione, poſſunt item deglutiri poſt cibaria duo, vel tria grana maſticis. Sed ad præſeruationem nocumentorum lolij, quæ inebriando procreare dicitur non ſunt prætermittenda amethyſta medicamenta à naturali quadam proprietate ebrietati aduerſantia, vt ſunt amygdalæ amaræ ex perſicorum nucleis extractę, & ieiuno comeſtæ, item flores myrthi, rutha, braſſica, eiuſque ſemen, necnon abſynthiũ, pulmo ouilis, centaurij min. decoctum, & præcipuè vntia iſtius ſy. Rec. ſucci caulium, ſucci granatorum auſterorũ ana unc. ij. aceti unc. j. m. & bull. ſimul modicum poſtea ieiuno ventriculo exhibeatur, ſed præcæteris pul. hirundinum vſtarum mirificè præſtat. Ad extra vero probatur

lapis

lapis amethystus gestatus, & hederacea corona capiti circumuoluta. Caput postmodum roborant ad intra conser ua anthos, saluiæ, stæchados, hyssopi, violarum rosarum, & similium, extrinsecus vero oleum chamæmelinum ex oliuis immaturis confectum & illitum, oleum rof. compl. rosatum omph. cum succo brassicæ mixtum, item aqua rof. sed inter cætera succus polygonij.

Curantur vltimo loliaceis affectibus vexati, eorundem ventriculum, à minera humorali, vaporosaq; mundificantes & partes neruosas omnes roborare studentes, flatuosasq; euaporationes penitus fugantes. Materia igitur crassa attenuetur, viscida incidatur, & lenta detersorijs præsidijs præparetur, flatuosa verò discussorijs, & resoluentibus effugatur. Discutitur autem & dissoluitur minera vaporosa vel ipsammet resoluentibus, vel alio eandem reuellentibus, reuelliturq; & attrahentibus & impellentibus medicamentis. Postposita igitur instrumenti cheirurgici materia, & præsertim sanguinis missioni accomodata, vtpotè. quæ in his casibus locum minimè habeat, cum huiusmodi corpora ex deprauata victus ratione, manifesta scateāt cacochymia ab initio retrahatur à capite ad pedes balneo attrahente ex aqua calida, sale, & oleo violato, eosdem assiduè perfricando, aut testes in uiris, mamas in mulieribus similiter tractando. Vel R. bethonicæ, chamæmeli, anethi, pulegij, calamenthi, serpilli, maioranæ, hyssopi, ruthæ, feniculi, stæchados, rof. rub. an. m. 1. bull. in suff. quant. aquæ ad consumpt. tertiæ partis dein colatura facta prædicto vsui seruetur. Impellente verò, presidio, si caput oleo rof. cum modico aceti, ad penetrationem, & tantumdem castorei, perfundatur iuxta frontem ac coronalē suturam, aut frigida confestim & abditè facies aspergatur. Discutitur & resoluitur post modum materia vaporosa, tum ad intra sumptis, tum extrinsecus adhibitis, quæ ad intra sumuntur, aut per os ingrediuntur, aut per sedem immittuntur,

tuntur, inter ea extollitur aqua vitæ vulgò nũcupatę multarum coctarum, sed xilobalsamum conditum, si de eo cochlear sumatur, præstantissimi est iuuamenti, quia flatus discutit, expellit, & resoluit, ventriculoq; cordi, cerebro, & ipsi hepati mirificè prodest, item præstat gingiber conditum, & ex compositis elect. de sem: Mes. uel illud Gal. seu Gal. adscriptum ventriculi flatuositates potenter consumens & expellēs, quod recipit cimini, leuistici, anisi, masticis, maratri, squinanthi, gingiberis, carui, ameos, amomi, sileris, piperis longi, Zedoarię, galangæ, oximi, calami aromatici, cassię ligneæ, macis, maioranę ana. partes æquales, & omnibus subtiliter pul. cum melle s. a. conficiatur elect. de quo exhibeatur ad quantitatem castaneę, & vini albi perodori unc. ij. superbibantur. Vel sic, & est de potioribus præsidijs ventriculum muniẽtibus, flatuositates peroptimè discutientibus, consumentibus, & expellentibus. Rec. calamenthi drag. ij. macis drag. iij. cinnamomi, galãgæ, masticis, thuris, ameos, carui ana scrup. ij. mēthæ, origani or. chamædrios, asari ana drag. j. s. ligni aloes el. dragm. j. pul. omnia subtiliter ex se, deinde misceantur, & cum semilibra sy: de calamentho, & vntijs tribus sacch. albi f. elect. de quo ut supra superbibendo untiam uini clari aromatici. Per sedem immittuntur Clysteres à capite diuertentes, ut Rec. bethonicę, stęchados, maioranæ, chamęmeli, pulegij, calamenthi, feniculi ana m. j. centaureæ min. m. j. s. agarici in petia ligati unc. 5. coloquinthidæ interioris drag. ij. m. & bull. in suff. quant. aq. & de colatua sumatur quod satis sit pro clyst. cui adde hieræ logadij unc. j. mel ros. col. sacch. rub. ana unc. ij. olei chamęmeli unc. iiij. salis triti drag. ij. & cum oui uitello paretur clyst. Ad extra uerò caphura cum sandalis ad nares ponatur, aut aceto excepta, gutta in nares instilletur, vel spongia ex aceto optimo decoctionis hyssopi, serpilli, maioranæ creberrimè ad nares admoueatur, quia ex his perbelle

crassi uapores subtiliantur,& discutiuntur. Inter pręparátia postmodum oxymel. s. oxymel scyllinum mel. ros. c. sy: de betonica, de stęchade, absynthio de calamentho, de prassio, de mentha, de pomis sunt pręstantiora, sed dilutis aquis, aut decoctis misceri non debent, quia materia residet circa uentriculi tunicas, quæ cum ad superiora pręcipuè lationem habeat, iure uomitoria purgantia in hoc casu mirifica existimantur, inchoandum autem est à mitioribus, ut sunt quæ ex aqua & aceto communiter parari solent, quibus perpetuò aliquod vnctuosum adiungi debet, vt si fortè non educant, saltem vapores sua vnctuositate grauiores reddant, minusque ascensioni habiles efficiant, & ut si qua esset ex lolio acrimonia morsum partibus pręsertim neruosis inferens retundatur, demulceaturq;, ac vt ipsius aceti obtundatur acuitas, ne partium erosionem, mordicationemq; augendo vel magis officeret. Quòd si per inferiora mouendum sit, eo quia materiæ morbosæ illac habeant inclinationem, aut quia per superiora expulsioni non sit natura assueta, eligantur tũ ea quæ per os exhibentur, tum etiam quę per anum imittuntur, ea sunt mel ros. sol. diasebesten, elect. indum de dactylis, elescoph, agaricus trochisc. pilulæ de tribus, de agarico, de hiera cũ agarico & similia, ut Rec. diaphiniconis unc. ʒ. mel. ros. sol. unc. iij. elect. indi drag. ij. & cum decoctione communi in qua bull. fol. artemisię, menthę ana m. ʒ. dissol. & f. p. Vel in forma boli Rec. diacatholici, uel diasebesten lenit. onc. ʒ. diaphinic hierę ʒ. Gal. ana drag. ij. spet. elect. elescoph. scrup. ij. mi. & cum sacch. f. b. Quod si mallet in forma pilulari Rec. pilularum cochiarũ Almás scrup. j. ʒ. de hiera cum agarico ȝ. j. & cum oxymel. ʒ. uel cum sy. de pomis formentur pilulæ nu. v. & inaurentur, sed præceteris summis laudibus extollendum est stibium peroptime præparatum ad gr. iij. uel iiij. exhibitum cum modico masticis in cons. rosacea cõmixtum, aut pilulis de hiera Gal.

additum,

additum, utpotè quod in expurgandis uitiosis humoribus à ventriculo, intestinis, mesenterio & primis illis ductibus siue ad superiora, siue ad inferna habeant inclinationem, & in loliaceis affectibus uexatos confestim excitando, nullum sibi aliud in re medica ferrat ęquale præsidium. Quæ uerò per sedem inijciuntur, hoc modo pręscribãtur Rec. decocti carminatiui lib.j. olei ruthę, de hyperico ana unc.j. ʒ.uini cretensis unc. iij. mel.ros.sol.unc. ij. elect.elescoph. unc. ʒ.m.& cũ sale & oui uitello f. clyst. Vel paretur cum hiera diacollocynthidos, benedicta simp. elect. de baccis lauri, melle crudo, & nitro pluribusq; alijs similibus. Post hęc ad alterantia recurrere oportet, quę caput, ventriculum, cor, & iecur corrigere, & corroborare dicũtur, ut Rec. aromat.ros.diamusci dul.an.unc.j. spet.diacimini drag.ij. & cum melle ros. c. paretur elect. cui adde fol.auri nu. iij. dosis est ad cochlear per horas duas ante cibum Vel. Rec. spet.diambrę, spet. dianthos ana drag.ʒ.sacch.dissoluti in aqua bethonicæ q. ʒ.& fiat confectio in rot.de quibus sumantur duæ drachmę superbibendo pateram brodij mentha alterati. Vel Rec. trochisc de ligno aloes, de anisis ana drag. j. sacch.albiss.onc. ij. & fiat pul. subtilis de quo dr. i. ieiuno uentriculo exhibeatur cum aqua prasij aut absynthij. In eundẽ usum uenit diarrhod.Abb. diagalanga, diacalamentum diacostũ, gallia aromatica, diatrion pipereõ ex secunda Gal.descript.ad Omontheum, rosata nouella elect.de gemmis, & conseruę oẽs cordiales, & magnę antidoti, Cęterum siquę adhuc restarẽt reliquię, somno condonandi sunt, ut calor ad centrum reuocatus, ressiduum omne undequaq; consumat dormienti enim interna calere dicebat Hipp. Et hęc sunt quę pro uirili in huius calamitatis subsidium perscrutatus fui, quęque faxit D. O. M. cui sit honor & gloria perennis, ut sicut magni animi expeditionem insequuntur, in comis lectoris suscipiantur clientelam.

FINIS.

PAVLO CRASSO,
VIRO CLARISSIMO,
AC
ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
Cardinalis Ascol. medico.

Vlysses Aldrouandus S. P. D.

CITIVS adgratissimas mihi litteras tuas Vir clarissime respondere non licuit, cùm propter continuas publicas lectiones, aliasque plurimas occupationes, tùm in primis quia in exordio primæ partis meæ Ornithologiæ, (ad quam imprimendam typographum Venetijs acciui, vt quàm diligentissimè domi meæ excuderetur) eram intricatus. Quod autem de lolio à me petis, quomodo nimirum contra hanc segetum pestem quis se se præseruet, vindicetuè, vt innocuè permixto pani vesci queat, id profectò apud me non parum habet difficultatis, neque etiam memini de aliqua me antidoto legisse, quæ ita nos cõtra temulentameius vim tueri possit, vt omnino non noceat; nisi dicamus ea medicamenta, quæ contra temulentiam atque ebrietatemq; valent, etiam aduersus lolium idem fortassis posse, medicamenta, inquã, ἀμέθισα, similiaq; alia quæ venenis resistunt, quanquàm reuera lolij pernicies tanta non sit, vt venenum dici mæreatur. Inducit autem somnum, neruosq; atque stomachum debilitat. Cæterùm vt ad singulare aliquod remedium veniam, assero sumpto à fungis exemplo Lolium etsi correctum multis tamen noxium esse posse: nam fungi, qui tantoperè multorum palato arrident, etiam præparati & bene conditi, & quorum quoq; qualitatem inferis sumus experti, plurima sæpe eaq; pessima symptomata indu-

cunt, quemadmodum quotidiano vsu obseruamus; adeo vt tutius meo iudicio sit, prorsus ab eiusmodi cibo abstinere, quàm correctum edere. Quamobrem non satis laudare possum Benedictum Victorium praceptorem meum olim hic professorem publicum, qui à delicatulis interrogatus quomodo fungorum vsus foret innoxius admodum lepidè, ac facetè (tradito prius cõditura modo) dicebat ita bene & opiparè paratos non modò non attingendos esse, sed in proximam etiam cloacam proijciendos, nam sic saltem non nocituros? Sed dices scio Vir clarissime, quid si paupercula cuiusdam familia frumentum copioso lolio abundet, adeo vt separari, atque abijci nequeat, quid tum fiet? an ne corrigenda malignitas? Ita sanè. Ego quidem pridie quàm panis conficitur, lib. 60. farina perfusa aqua vita lib. 1. 5. & croci scrup. 2. ac velut fermentum paro. Hac enim massa si reliquâ farinâ cooperiatur, nescio quid viride, in quo omnis lolij virulentia malignitasq; consistit, attrahit, ideoq; subsequenti die abiecta istiusmodi viridi massâ panem cum fermento communi ex reliquâ farinâ conficio, esumq; eius salubrem offendi. Quod si verò lolium iam alicui molestiam exhibuerit, temulentusq; euaserit, caput doleat, rigeat, tremat, is in optimo aceto tria aut quatuor tosti panis frustula immergat; vel accipiat theriaca drag. 1. vini opt. vnc. 4. & superdormiat. Bina quoq; aut tria folia menta seu melissa sumpta opitulantur. Item rorismarini esus, si alia desint, plurimùm potest. Paucula hac Vir praclarissime circa praseruationem à lolio, eiusque curam, ex tempore occurrunt, qua quidem plurimis in hac annona caritate profuisse obseruaui, tu nihilominus prudentiores & doctiores interim consule, & vale, atque Illustrissimum Cardinalem patronum tuum & meum meis verbis saluta. Bononia 16. Martij 1596.

Errata sic Corrigito.

Pag.1.lin.4.illa sibi spectanda	*leg.illam sibi spectandam*
pag.1.lin.30.hebrijs	*leg.ebrijs*
pag.3.lin.15.noctissimum	*leg.notissimum*
pag.3.lin.17.pluuiorum	*leg.pluuias*
pag.3.lin.20.aßerendam	*leg.asserendum*
pag.3.lin.25.diunt	*leg.dicunt*
pag.7.lin.3.humidissime	*leg.humiditate*
pag.11.lin.29.mibriferum	*leg.imbriferum*
pag.14.lin.12.veneni cum	*leg.veneniue*
pag.16.lin.8.euadunt	*leg.euadant*
pag.17.lin 29.Santis	*leg.Sanctes*
pad.22.lin.29.Steffanus	*leg.Stefanus*
pag.34 lin.22.tentare	*leg.tentarem*
pag.34.lin.33.praligisses	*leg.pralegißes*
pag.57.lin.1.inanimantium	*leg.in animantium*
p. ead. lin.15 βεραπευτικη	*leg. θεραπευτικη*
pag.59.lin.19.subgiungitur	*leg.subtiliter*



BONONIÆ,

Apud Io: Baptiſtam Bellagambam.
M. D C.

SVPERIORVM PERMISSV.